EPICURI
DE ANIMORUM NATURA DOCTRINAM
A LUCRETIO DISCIPULO TRACTATAM

EXPOSUIT

A. J. REISACKER

PHIL. DR., GYMN. COLON. CATH. SUP. ORD. COLLEGA.

COLONIAE AGRIPPINENSIUM 1855.

EXCUDEBAT J. P. BACHEM.

Antiquissimi physici Graeci cum in contemplandis eis, quae sub sensus cadunt, rebus tota mente defixi primas universae naturae caussas in uno pluribusve posuissent mundi elementis, vim omnia moventem atque agentem senserunt quidem praestantius quiddam ac divinius esse, sed tantum afuit ut eam a materia secernerent, ut de hac re omnino ne cogitasse quidem videantur [1]. Etiamsi autem nec de numine divino nec de animorum immortalitate ipsi videntur addubitasse, fieri tamen non potuit, quin novis suis placitis hominum opiniones, non illas doctrina factas, sed mentibus innatas et ex antiquissimo tempore cum magnificis poetarum effatis tum mysteriorum arcanis proditas ac firmatas valde labefactarent [2]. Quod damnum mox valde auctum est, cum philosophi existerent, qui solis omnia gigni corporibus opinati vim divinam tantum non palam omnem negarent hominumque animos diversis materiae particulis conflatos morte dissolvi et velut nebulam ac fumum exhalari inque aerem dispergi declararent [3]. In eis vero philosophis, qui et de natura divina et de hominis sorte futura sublimius cogitarunt suaque disciplina antiquitatis testimonia sustentarunt, principes nominandi sunt Pythagorei. Hi enim in morum disciplina diligentius quam in naturae exploratione versati cum hoc praecipue curarent, ut spe moriendi meliore meliorem efficerent rationem vivendi, praeclaram illam sententiam pronuntiarunt, animos humanos ex universa mente divina delibatos in hac vita humana sapientiae ac virtutis studio ad dei similitudinem esse perficiendos [4]. Ac Pythagorei primi vim mentis si non plane seiungere a materia, at definire certius notionemque eius animo effingere coeperunt. Ut enim universas res ad numeros revocarunt componique censuerunt quadam harmonia, ita animum harmoniam corporis appellarunt [5]. Quamquam

[1]) Cf. Steinhartius in egregia commentatione, quam praefixit Platonis Phaedoni in Plat. Opp. convers. ab Hieron. Muellero vol. IV p. 375. — [2]) Praeclara de antiquitatis opinione verba sunt Ciceronis dicentis homines, quo propius ab ortu et divina progenie afuissent, eo aptiores fuisse ad vera cernenda. Tusc. I 12, 26. Legg. II 11, 27. De vetustissimis Orphicorum et poetarum Graecorum sententiis vide Brandis. hist. philos. graec. I p. 86. Steinhart. l. l. p. 373. — [3]) Cf. Mullachius Democriti Abderitae fragmenta p. 161. 412. Brandis. l. l. I p. 338. — [4]) Cic. de senect. c. 21. Stobaeus Eclog. eth. p. 64 sqq. *Σωκράτης, Πλάτων, ταὐτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ, τέλος ὁμοίωσιν θεοῦ*... Brandis. hist. phil. I p. 488. 494. — [5]) Macrob. in Somn. Scip. I 14. Plato dixit animam essentiam se moventem, Xenocrates numerum se moventem, Aristoteles *ἐντελέχειαν*, Pythagoras et Philolaus harmoniam. Brandis. l. l. I 488. Steinhart l. l. p. 377.

hoc subtiliter magis quam dilucide: ut facile, id quod accidisse infra videbimus, falso intellectum sit mediocribus hominum ingeniis. Ipsi certe auctores, qualemcunque partium concentum mente conceperunt, penitus connexum cum corpore animum noluerunt. Nam animos immortales mortalibus corporibus dixerunt poenae caussa esse alligatos et tanquam in sepulcro quodam vel carcere inclusos ea condicione, ut pro se quisque inter vitam inde se expedire deberet, quo mortis tempore sincerus terrenisque sordibus purus in coeleste domicilium remigrare posset [1]). Multa autem de animorum post mortem statu docuerunt obscurius, cum fabulis poetarum, tum aliis eiusmodi involucris et integumentis usi, qualia mysteriis ac reliquae vulgi superstitioni accommodata viderentur. Itaque eos animos, qui vitiis atque flagitiis in hac vita se contaminassent, antequam ad deorum societatem pervenirent, luendae poenae caussa aut ad inferos transituros aut per alia deinceps corpora sive hominum sive brutorum migraturos esse statuerunt [2]). Idque ipse Pythagoras fertur narrasse, se olim apud inferos supplicia malorum vidisse, etiam se recordari, in quibus antea corporibus inclusus fuisset [3]). Similia de sua ipse migratione recordatus est poeta philosophus Empedocles, qui hoc etiam superstitiosius addidit, se olim non solum bestiae sed plantae etiam formam induisse [4]). Idemque philosophus etsi animum nativa indole divinum esse et immortalem sensit, tamen cum omnibus omnino animantibus, etiam plantis tribueret vim intelligendi et cogitandi (*φρόνησιν καὶ νόημα*), minus illam quam ipsi Pythagorei a parte mortali et deteriore distinxit [5]). Nec Empedocles satis sibi constitit in sententia de animorum origine: modo enim tanquam vates enuntiavit eos divinitus et extrinsecus in corpora inferri, modo tanquam physicus statuit eos ex mundi elementis mixtione quadam particularum et temperie quasi enasci [6]). Cuiusmodi opinionum discrimen iam ante Empedoclem extitisse et vel controversiae ansam philosophis dedisse, ex paucis, quos Diogenes Laertius servavit, versibus colligi potest Epicharmeis, in quibus ovi exemplo proposito efficitur animum non extrinsecus in corpus ingredi, sed latentem in ipso corpore naturae quadam vi genitali incendi et quasi procreari [7]). Verius et subtilius mentis naturam definivit qui Empedocle fuit aetate prior, disciplina posterior philosophus, Anaxagoras, auctor ille placiti gravissimi de mente pura et simplici, quae intelligentia sua disponat cuncta et gubernet. At Anaxagoras, ut in ceteris rebus, quid divinae menti tribuendum esset, parum perspexit, ita nec in humani animi naturam studiosius inquisivit, nec de statu post mortem secus fere ac physici superiores videtur sensisse [8]). Clarius et confidentius de hac re disserere coepit Socrates, quem constat totam philosophiae disciplinam a naturae rebus absconditis et occultis ad animum cognoscendum revocasse.

---

[1]) Philolai fragm. ap. Boeckh. p. 181. *μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντεις, ὡς διά τινας τιμωρίας ά ψυχὰ τῷ σώματι συνέζευκται καὶ καθάπερ ἐν σάματι τούτῳ τέθαπται.* Brandis I 87. 495. — [2]) Wyttenbach. Opusc. II p. 190 sqq. Brandis I 501. Ritter hist. philos. Pythagor. 216. — [3]) Diog. Laert. VIII 4. 21. 41. — [4]) Karsten. Empedoclis reliquiae p. 509. — [5]) Karsten. p. 490. Ritter l. l. p. 216. — [6]) Stobaeus Empedoclem a Pythagoreis segregavit: *Πυθαγόρας, Ἀναξαγόρας, Πλάτων, Ξενοκράτης, Κλεάνθης, θύραθεν εἰςκρίνεσθαι τὸν νοῦν. Παρμενίδης καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Δημόκριτος ταὐτὸν νοῦς καὶ ψυχή, καθ᾽ οὓς οὐδὲν ἂν εἴη ζῶον ἄλογον κυρίως.* Ecl. phys. I 51, 7 p. 790. Karsten. p. 498. — [7]) Cf. Leop. Schmidt. Quaest. Epicharm. dissert. Bonn. 1846 p. 51. Ovi illud exemplum ex vetustis Orphicorum mysteriis originem duxit. Cf. Lobeck. Aglaoph. I 476. — [8]) Aristoteles de an. I 2, 5. Brandis. l. l. I 263. 267. Steinhart. l. l. p. 376.

Is Anaxagorae placitum amplexus nihil paene potius habuit, quam ut humanae menti simplicitatem et in corpore principatum vindicaret. Quare eos inprimis reprehendit, qui mentem simplicem, quod oculis percipi non posset, nullam esse putabant [1]. Quanta autem spe immortalitatis et futurae felicitatis imbutus fuerit, id post Platonem et Xenophontem paucis optime declarat Cicero dicens, eum non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dixisse semper, animos hominum esse divinos eisque, quum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimo et iustissimo expeditissimum [2]. Sed quae apud Platonem tanquam Socratis afferuntur commenta, plurima illa ab Orphicis et Pythagoreis desumpta, disciputo potius quam magistro videntur placuisse. Cum enim Plato eam viam ingressus esset, ut quae in superiorum philosophorum de anima placitis vera invenerat, ea novis ac subtilioribus rationibus denuo explicaret, in ea quaestione, quae ad animorum originem et conditionem futuram spectat, sententiam ad probabilitatem pronuntiare et ad vulgi captum fabulas atque imagines exponere non recusavit, quia argumentis et conclusionibus in illa vix quidquam certi effici posse videbatur [3]. Idque Plato una cum Socrate maxime habuit persuasum, animos originis esse divinae singulosque homines post mortem in condicionem ipsis convenientem perventuros et bonis bene, malis male futurum esse [4]. Verum fabulas et vetusta religionis testimonia ad doctrinam suam eo modo accommodavit, ut rationes, quae suberant, veriores penitus indagatas ipsis subtilioribus philosophiae argumentis intexeret. Qua ratione quid in singulis mutarit novique ipse addiderit, quoniam a proposito alienum est, copiosius exponere nolo: hic paucis graviora tantum afferenda sunt. Plato cum Socratis mentem secutus rerum veritatem altius exploraret, animadvertit illam non eis, quae sensibus percipiuntur et continuo mutantur, sed solis, quae animo comprehensae sunt, notionibus posse cognosci; quocirca animos, antequam in humana corpora intrarent, vixisse et in veritatis cognitione viguisse conclusit [5]. Sic ea, quae Pythagorei de superioris vitae recordatione commenti erant popularius et superstitiosius, ad sublimiorem veritatis cognitionem rettulit. In eis vero commentis, quae ad sortem futuram pertinent, hoc inprimis novi protulit, quod animos ex inferis ad superos revertentes finxit optione quadam concessa sua sponte sibi corpora, quae induerent, nova eligere. Qua quidem ratione animi et corporis quasi quendam consensum significavit uniuscuiusque arbitrio peculiarique animi habitu et inclinatione constitutum [6]. In eo denique dialogo, in quo Pythagoricum Timaeum docentem fecit, nostri animi pariter atque eius, qui toti mundo est inditus, partes diversas harmoniae quadam ratione temperatas et in unam naturam contextas esse dixit [7]. At quidquid harmoniae rationi a Pythagoreis propositae tribuit, tamen cum veram animi naturam non talem, qualis vulgo videtur, concretam corporisque contagione pollutam, sed sinceram potius ac simplicem esse eandemque non tam inesse corpori quam adesse vellet, id maxime cavendum putavit, ne in partium consensu vitaeque necessitudine animus ex corpore pendere et mortis peri-

---

[1] Xenoph. Memor. IV 3, 14: *ἀλλὰ μὴν καὶ ἀνθρώπου γε ψυχή, ἥ εἴπερ τι καὶ ἄλλο τῶν ἀνθρωπίνων τοῦ θείου μετέχει, ὅτι μὲν βασιλεύει ἐν ἡμῖν φανερόν, ὁρᾶται δὲ οὐδ' αὐτή. ἃ χρὴ κατανοοῦντα μὴ καταφρονεῖν τῶν ἀοράτων*... Brandis. II p. 63. — [2] Cic. de amic. 4. — [3] Plat. Phaed. p. 114 D. Deycks Platonis de animorum migratione doctrina. Progr. Gymn. Confluent. 1834 p. 7. — [4] Steinhart l. l. p. 380. 456. — [5] Plat. Phaed. p. 72 E — 77 A. — [6] De Rep. X 617 E. Brandis l. l. II 449. Wyttenbach. animadv. in Plut. lib. de ser. num. vind. 113. — [7] Plat. Tim. p. 35. 37. 41.

2*

culo obnoxius esse videretur [1]). Quare praeter physicos illos, quos Socrates antea confutaverat [2]), alios adversarios eosque multo acriores et ex ipsa Pythagorae schola profectos impugnavit. Tum enim multi homines et docti et indocti harmonia illa male intellecta in hanc pravam opinionem discesserant, ut animum nihil esse nisi harmoniam iusta quadam corporis partium temperatione effectam censerent; unde necessario consequi putabant, corpore corrupto animum velut corruptis fidibus lyrae concentum dissolvi ac disperire [3]). Hanc igitur opinionem fallacissimam ut ex animis exculeret Plato animorum naturam divinam et immortalem cum aliis multis argumentis, tum hoc omnium gravissimo et prorsus novo defendit, quod animum, in quodcunque corpus ingrederetur, illuc vitam afferre et sua natura morti prorsus contrarium esse ostendit [4]).

Pythagoreorum de harmonia sententiam post Platonem aliis novis rationibus in opere de anima composito refutavit Aristoteles [5]). Is vero, cum in hac refutatione non ut Plato illud propositum haberet, ut pro animi immortalitate propugnaret, in Pythagoreorum opinione duas dubitationes relinqui animadvertit physico. Quaerit enim, cur dissoluto corpore tollatur anima, cur anima sublata corpus corrumpatur [6]). Quas dubitationes cum eo modo proferat, ut ipse etiam favere Pythagoreorum sententiae facile possit videri [7]), manifesto intelligitur, eum, quod Plato neglexerat, postulare aliam caussam ad animi et corporis illam communionem et vitae necessitudinem tam magnam explicandam. Atque hac maxime in quaestione versatus est Aristoteles; cum vero physici partes agere mallet, moralem animi condicionem minus curaret, a Platone longe discessit et doctrinam condidit cum vulgaribus de animorum origine ac sorte futura opinionibus, quas Pythagorei et Plato tantopere sustinuerant, vix ullo modo conciliandam. Nimirum in singulis naturae rebus perscrutandis diligentissimus vidit omnibus, quaecunque in mundo facta essent et fierent, certum quoddam naturae consilium ingenitum esse et uniuscuiusque rei formam suae et quasi domesticae materiae innasci [8]). Et praecipue animantium genera animadvertit certo naturae discrimine inter se disiuncta esse et distantia. Cuius constantiae et varietatis caussam in certa et definita animae et corporis ratione positam esse intellexit: animam esse corporis principium et vim totum

---

[1]) Plut. de an. procr. e Tim. c. 3 *ἐπεὶ καὶ ἁρμονίαν συνέστησεν, ἁρμονία δ᾽ οὐκ ἔστιν, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ περὶ ψυχῆς ἀπέδειξεν.* Steinhart. de Plat. Phaed. p. 445 not. 70. — [2]) Plat. Phaed. p. 77 B. — [3]) Ib. p. 85 E — 88 C. — [4]) Steinhart. de Plat. Phaed. p. 417. 426. — [5]) Arist. de an. I 4, 1—8. Aristoteles eosdem Pythagoreos in Eudemo, qui dialogus deperditus est, ea ratione impugnasse videtur diversa, ut vel ad vulgi opiniones argumenta applicaret. Quod quidem coniici licet ex Eudemi loco, quem Plutarchus exhibet, praeclaro, quo mortui divina quadam sorte frui et felices beatique esse dicuntur. Plut. consol. ad Apoll. c. 27. cf. Krische. Die Theolog. Lehren der griech. Denker p. 15 sqq. Quamquam illi loco ne nimium tribuas vetant alii loci Aristotelis, in quibus huius vitae sive mala sive commoda nihil paene ad mortuos pertinere affertur. Eth. Nic. I 11 cf. Zeller Philos. graec. II p. 498. — [6]) De an. I 4, 8: *εἰ δ᾽ ἐστὶν ἕτερον ἡ ψυχὴ τῆς μίξεως, τί δή ποτε ἅμα τῷ σαρκὶ εἶναι ἀναιρεῖται καὶ τῷ τοῖς ἄλλοις μορίοις τοῦ ζῴου; πρὸς δὲ τούτοις εἴπερ μὴ ἕκαστον τῶν μορίων ψυχὴν ἔχει, εἰ μή ἐστιν ἡ ψυχὴ ὁ λόγος τῆς μίξεως, τί ἐστιν ὃ φθείρεται τῆς ψυχῆς ἀπολειπούσης;* vide Trendelenburgium in comment. ad Arist. de an. p. 267. — [7]) Hoc suspicati sunt veteres commentatores, quorum iudicia affert Trendelenburg l. l. — [8]) De an. II 2, 14: *ἑκάστου γὰρ ἡ ἐντελέχεια ἐν τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι καὶ τῇ οἰκείᾳ ὕλῃ πέφυκεν ἐγγίνεσθαι;* vid. Trendelenburg. in comm. „Ita non extrinsecus *δύναμιν* et *ἐντελέχειαν* componit, sed unam cum altera ex eodem germine provocat."

animalis corpus continentem et formantem [1]); corpus ad vitam natum et tam apte instructum esse, quo tanquam instrumento suo uteretur anima [2]). Itaque animam et corpus coniuncta tanquam unum quiddam ac totum constituit; animam distinxit quidem a corpore ut partem potiorem, sed eandem dixit cum certo semper suo iunctam esse corpore, a quo revera non posset separari [3]). Quapropter comparavit eam cum figura cerae impressa, cum securis vi secandi, denique cum oculi vi atque acie cernendi; hac oculi anima sublata perdi propriam oculi naturam [4]). Itaque Aristoteles acriori animantium naturae observatione ductus humanam animam vinxit cum corpore nostro artissime. Reprehendit, quod Pythagoreis et Platoni placuerat, animas humanas quaelibet corpora induere et ex alio in aliud corpus migrare [5]). Eademque ratione reiecit, quod ceteri physici statuerant, universum et ipsa elementa esse animata. Opponit illis cum alia tum haec, si principia ipsa essent animata, non posse ullam rem esse inanimam [6]); nec intelligi, cur animantibus aliud alii praecipue datum sit, alia nec moveantur nec sentiant, alia mente careant nec quicquam intelligant [7]); denique cur nunquam in ipso aëre aut igni animans gignatur [8]). Illa vero animae et corporis consensione intimaque vitae necessitudine constituta fieri non potuit, quin Aristoteles magnas excitaret difficultates in mentis natura definienda; quam partem non ut animam corpori immixtam sed simplicem esse voluit et totius animae dominam solamque immortalem [9]). De hac parte pariter ac de mente divina illud quidem subtilius quam clarius disputavit, tangere eam et movere nec ipsam tangi aut moveri [10]). Nec minus subtiliter disseruit de ea ratione, qua mens cum anima atque corpore est coniuncta: modo

---

[1]) De an. II 1, 4. 4, 3. 4, 5 *δοκεῖ γὰρ τοὐναντίον μᾶλλον ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα συνέχειν. ἐξελθούσης γοῦν διαπνεῖται καὶ σήπεται.* I 5, 24. — [2]) De an. II 1, 6. 2, 14. 4, 4. I 3, 23 cf. Biese. Philos. Aristot. II 96. — [3]) Ib. II 2, 14: *καὶ διὰ τοῦτο καλῶς ὑπολαμβάνουσι οἷς δοκεῖ μήτ' ἄνευ σώματος εἶναι μήτε σῶμά τι ἡ ψυχή. σῶμα μὲν γὰρ οὐκ ἔςι, σώματος δέ τι…* — [4]) Ib. II 1, 7. 9. 11: *ἀλλ' ὥσπερ ὁ ὀφθαλμὸς ἡ κόρη καὶ ἡ ὄψις, κἀκεῖ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τὸ ζῷον. ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔςιν ἡ ψυχὴ χωριςὴ τοῦ σώματος, ἢ μέρη τινὰ αὐτῆς, εἰ μεριςὴ πέφυκεν, οὐκ ἄδηλον.* — [5]) De an. II 2, 14. I 3, 22. 23: *οἱ δὲ μόνον ἐπιχειροῦσι λέγειν ποῖόν τι ἡ ψυχή, περὶ δὲ τοῦ δεξομένου σώματος οὐθὲν ἔτι προσδιορίζουσιν, ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα.* cf. Trendelenburg. in comm.: „Egregie sane individuam vitae necessitudinem et animi corporisque consensum ab ipso Platone neglectum tetigit.“ — [6]) Ib. I 5, 9. 11: *ὅλως τε διὰ τίν' αἰτίαν οὐχ ἅπαντα ψυχὴν ἔχει τὰ ὄντα, ἐπειδὴ πᾶν ἢ στοιχεῖον ἢ ἐκ στοιχείου ἑνὸς ἢ πλειόνων ἢ πάντων.* — [7]) Ib. 13: *φαίνεται γὰρ τά τε φυτὰ ζῆν οὐ μετέχοντα φορᾶς οὐδ' αἰσθήσεως, καὶ τῶν ζῴων πολλὰ διάνοιαν οὐκ ἔχειν.* — [8]) Ib. 17: *καὶ ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν μεμῖχθαί φασιν, ὅθεν ἴσως καὶ Θαλῆς ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι. τοῦτο δ' ἔχει τινὰς ἀπορίας. διὰ τίνα γὰρ αἰτίαν ἐν μὲν τῷ ἀέρι ἢ τῷ πυρὶ οὖσα ἡ ψυχὴ οὐ ποιεῖ ζῷον, ἐν δὲ τοῖς μικτοῖς…* II 4, 8. Ad haec iam monendum est ipsum Aristotelem aetheri et solis calori maximam tribuisse efficaciam ad animalium vitam fovendam. de gen. anim. III 11: *Γίγνεται δ' ἐν γῇ καὶ ὑγρῷ τὰ ζῷα καὶ τὰ φυτά, διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὑπάρχειν ὑγρόν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τῷ παντὶ θερμότητα ψυχικήν. ὥςε τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη.* de an. II 4: *διὸ πᾶν ἔμψυχον ἔχει θερμότητα.* cf. Trendelenb. comm. p. 153. Atque omnem animam nostram ipsamque mentem participem dixit elementi cuiusdam divinioris, aetherei sive astralis. de gen. an. II 3 *πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων.* cf. Schmidt. de loco Aristotelico *τὸν νοῦν θύραθεν ἐπεισιέναι.* Progr. Gymn. Erfurt. 1847 p. 5. Nec ideo tamen Aristoteles ipsam aetheris materiam putavit sentientem et intelligentem. cf. Biese. Philos. Arist. II 209. Zeller l. l. II 474. — [9]) De an. II 9 *περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως οὐδέν πω φανερόν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.* cf. Trendelenb. in comm. Ritter hist. philos. III 296. — [10]) Cf. Zeller l. l. II 441. 431.

enim mentem a reliqua natura videtur plane segregasse, quasi mera sua vi et natura inniteretur, modo eam arte cum illa copulasse, quasi non posset illius ope carere [1]). Prorsus autem obscure dixit de animorum origine atque sorte futura. Nam mentem statuit quidem non ut animam nasci cum corpore nec esse tempore posteriorem, sed extrinsecus ingredi in illud et stirpe sua esse divinam [2]); nec tamen concessit id, quod Plato putaverat, menti ex superiore vita et societate divina rerum notiones inditas esse atque innatas; coniunxit artius mentem cum reliqua natura affirmans eam sola facultate ad intelligendum instructam paullatim demum progrediente aetate vim suam explicare [3]). Unde intelligitur Aristotelem quasi medium tenuisse inter Platonis sententiam et veterem illam, quam ante dixi Empedoclis fuisse aliorumque dicentium, vim sentiendi atque intelligendi tanquam ex ovo paullatim procrescere ac perfici [4]). Quae de animi sorte futura in Eudemo dixit popularius, paucis ante (p. 8 in adn. 4) notavi; in illo de anima opere simile nihil enuntiavit. Si vero singulas sententias, quas de mente attulit, omnes composueris, facile videbis, eum praeclare de mentis humanae immortalitate cogitasse [5]), sed ab opinione vulgari, quam Pythagorei et Plato doctrina sua probaverant, longissime recessisse. Nam cum omnem recordationem, dolorem, voluptatem, alia similia ad mentis partem patientem ac mortalem referenda putaret, mentis parti agenti atque immortali nihil paene concessit, quod ex hac vita in alteram secum auferre illa videri possit [6]).

Restabat igitur in Aristotelis doctrina aliquid haud parvae dubitationis; quod tolli non poterat, nisi ulterius ad intimos philosophiae recessus procederetur. Quare non est mirandum, etiam eos, qui proxime Aristotelem sunt secuti, discipulos, cum ingenio impares magistri inventa defendere non essent ausi, ab eo descivisse et mox valde degenerasse. Multi autem in eo fuerunt concordes, quod in quaestione de anima instituta id praecipue explorandum sumpserunt, quo pacto mens vel intellectus cum sensu et corpore cohaereret. Sed quanto minus, quae in mentis simplicis atque immobilis definitione inessent difficiliora et subtiliora ipsi explicare potuerant, tanto magis eo sunt delapsi, ut omnem illam vim cum sensu et corpore confunderent, etiam esse mentem et animam prorsus negarent. Reciderunt igitur in eosdem paene errores, quos antea antiquioribus et aequalibus philosophis et Plato et Aristoteles exprobraverant. Itaque Dicaearchus et Aristoxenus, uterque Aristotelis discipulus, Pythagoreorum de harmonia sententiam amplexi sunt, eandem illam a Platone et Aristotele gravissimis rationibus refutatam. Quamquam Aristoteles, qui ipse animam cum corpore artissimo vinculo copulatam et tanquam formam corporis eamque inseparabilem significasset, facile potuit in eam partem intelligi, ut assentiri potius quam adversari Pythagoreis videretur.

---

[1]) Arist. de sensu c. 6: *οὐδὲ νοεῖ ὁ νοῦς τὰ ἐκτὸς μὴ μετ' αἰσθήσεως ὄντα, ἅμα δέ.* Ritter l. l. III 107. 109. 117. Zeller II 387. 390. 403. 489 sqq. — [2]) Metaph. IX 8: *τὰ τῇ γενέσει ὕστερα τῷ εἴδει καὶ τῇ οὐσίᾳ πρότερα, οἷον … ἄνθρωπος σπέρματος.* De an. I 4, 13. gen. anim. II 3: *λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον.* vide Schmidt. l. l. — [3]) De an. III 4, 3: *ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς… οὐθέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν.* cf. Trendelenb. „adesse idearum conditiones, modo, ut ipsae sint, agat cogitatio. Zeller II 388. 490. — [4]) Arist. de part. anim. IV 10: *ἡ τῆς ψυχῆς ἀρχὴ πολλῷ δὴ δυσκίνητός ἐστι καὶ σωματώδης.* — [5]) Vide Deinhardt. in Progr. Gymn Vittebergens. 1840. p. 36. — [6]) De an. I 4, 14: *τὸ δὲ διανοεῖσθαι καὶ φιλεῖν ἢ μισεῖν οὐκ ἔστιν ἐκείνου πάθη, ἀλλὰ τουδὶ τοῦ ἔχοντος ἐκεῖνο, ᾗ ἐκεῖνο ἔχει. διὸ καὶ τούτου φθειρομένου οὔτε μνημονεύει οὔτε φιλεῖ. οὐ γὰρ ἐκείνου ἦν, ἀλλὰ τοῦ κοινοῦ, ὃ ἀπώλολεν. ὁ δὲ νοῦς ἴσως θειότερόν τι καὶ ἀπαθές ἐστιν.* cf. Wyttenbach. opusc. II p. 258 sqq. Zeller II 497.

Dicaearcho quidem et Aristoxeno constat fuisse illud offensioni maximae, quod animi natura a corpore separata, quid per se esset, intelligi non posset. Uterque, ut ait Cicero, quia dificilis erat animi, quid aut qualis esset, intelligentia, nullum omnino animum esse dixit [1]. Idem Cicero ex libris Dicaearchi Corinthiacis hanc sententiam affert [2]: „nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane, frustraque animalia et animantes appellari; neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestia; vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter fusam nec separabilem a corpore esse, quippe quae nulla sit, nec sit quidquam nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat". Non aliter fere disputavit Aristoxenus, quem Cicero irridet [3]: „Ut multi ante veteres, proxime autem Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam; velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit et tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multo ante et dictum et explanatum a Platone". Harmoniae nomen Dicaearcho quoque placuisse testantur Plutarchus et Stobaeus [4]. — Cum duobus istis Peripateticis Strato componendus est Lampsacenus, Theophrasti discipulus et in Lyceo successor. Hic non adeo quidem cum illis consensit, ut nihil omnino diceret animum esse: sed sicuti reliqua sua doctrina scholam reliquit longissime, ita in illa de anima doctrina mentem simplicem et immobilem plane repudiavit illiusque vim cum sensu tam arte coniunxit, ut tantum non omne, quod Aristoteles inter utramque partem voluerat, discrimen videatur sustulisse [5]. Nam mentem putavit una cum anima moveri alteramque partem alteri in rerum perceptione prorsus respondere. Quare decrevit nihil sensu percipi posse, nisi mente praesente et simul operante, nihil intelligi mente, nisi quod sensibus ante esset perceptum [6]. Quae definitio sane admodum est ambigua, ut mens et sensus vix possint inter se discerni. Quamquam Strato, quod infra clarius elucebit, Aristotelis et Theophrasti illud placitum videtur defendisse, in mente esse principatum. Num vero mentem voluerit immortalem, valde est dubitandum. Quod ipsi Aristoteli parum contigerat, id Strato ipsius quidem doctrinae ratione efficere nulla potuit [7].

Itaque ex Aristotelis schola tres philosophi, nec ei ignobiles, prodierunt, qui immortalitatis opinionem abiecerunt, Dicaearchus, Aristoxenus, Strato. His Peripateticis iam adiungendus est, qui eadem aetate immortalitati adversarius extitit acerrimus, Epicurus. Cum hoc philosopho Strato multa habuit communia [8]; etsi de quibusdam placitis cum eo discordavit et controversiam instituit [9], sive Lampsaci, ubi Epicurus philosophiam aliquot annos professus est, sive Athenis, ubi ille Lampsaco relicto in hortis scholam condidit et magistri munere usque

[1]) Cic. Tusc. I 22, 51. — [2]) Cic. Tusc. I 10, 21. Jamblich. ap. Stob. ecl. phys. I. p. 871. — [3]) Cic. Tusc. I 10, 20. Stob. ecl. phys. I p. 922. — [4]) Plut. plac. phil. IV 2. Stob. l. l. I p. 796. — [5]) Caussam, cur Strato mentem animae artiori nexu iunxerit, exponit Nauwerckius de Stratone Lampsaceno. Berolini 1836 p. 14. [6]) Hoc decretum duobus testimoniis, altero Simplicii in phys. Arist. fol. 225 a [*ὅσα — μὴ πρότερον ἑώρακεν (ἡ ψυχή) ταῦτα οὐ δύναται νοεῖν*], altero Plutarchi de solert. anim. 3 p. 141 [*οὐδ' αἰσθάνεσθαι — ἄνευ τοῦ νοεῖν*] Nauwerck. efficit p. 16. — [7]) Nauwerck. p. 17. — [8]) Tennemann. hist. philos. III p. 337. — [9]) Krische die theolog. Lehren der griech. Denker p. 353.

ad mortem (Ol. CXXVII 2) functus est[1], Strato magistro Theophrasto in Lyceo successit (Ol. CXXIII 3)[2]. Uterque philosophus in suis exponendis pugnaciter cum aliis certavit imitatus fortasse morem Aristotelis, qui antiquiorum et aequalium placita cum suis conferre adamasset[3]. Epicurus autem, quanto minus ipsa philosophiae penetralia adeundi et nova in physicis quaerendi studiosus, tanto surripiendi aliena cupidior, magnam testimoniorum copiam aliunde in libros suos congessit[4]. Quamquam ipse nihil se aliis debere et proprio Marte suam se disciplinam confecisse gloriatus est[5]. Potuit autem, cum primo philosophiae discendae caussa Samo Athenas se contulisset duodeviginti annorum adolescentulus (Ol. CXIV 1)[6], e Platonis discipulis audire Xenocratem, qui post Speusippum Academiae principatum susceperat; et sunt nonnulli inter veteres, qui fuisse illum Xenocratis auditorem putarunt[7]; potuit idem facillime notitiam assequi placitorum Aristotelis, quem, si fides habenda est Apollodoro in chronicis[8]) referenti, Aristotelem Chalcidem confugisse (Ol. CXIV 3), ipsum Athenis docentem invenit; sin Heraclidis Lembi testimonio[9] credimus, Epicurus eo tempore Athenas advenit, quo Aristoteles scholam habebat Chalcide, in Lyceo docebat Theophrastus. Theophrasti physicae disciplinae cognoscendae operam eum navasse certissimo constat testimonio Plutarchi, qui ex ipsis Epicuri libris adversus illum conscriptis nonnullas sententias affert de coloribus controversas[10]. Etsi vero, quid Epicurus aequalibus philosophis debuerit aut opposuerit nullis constat testimoniis apertis, manifestum est tamen, eum suae aetatis philosophiae rationem habuisse plurimam, ut nisi comparatu cum aequalium sententiis placita eius graviora intelligi paene nequeant. Nec aliter poterit in tanta Epicuri scriptorum iactura ponderari, quid magistro Lucretius debeat discipulus, aut perspici satis, qua ratione poeta argumenta alia ex aliis apta et nexa esse voluerit.

Jam quod omnium maxime patet, Epicurus cum tribus illis, quos dixi, Peripateticis eo plane consensit, quod in sola sensuum experientia omnem rerum cognitionem collocavit. Idem fecit Epicuri aequalis Zeno, Stoicae scholae parens. Uterque philosophus hac potissimum caussa, quod nisi sensibus extrinsecus ante affectis nihil posset cognosci, adductus esse videtur, ut solis corporibus veram effici rerum naturam statueret[11]. Nec minus uterque, quod Aristoteles existimaverat, tangi et moveri materiam eo, quod sua natura simplex et mutationis expers esset, repudiavit, et quidquid tangeret aut pateretur, necessario corpus esse decrevit. Epicurus autem praeter spatium vacuum, quia solum nec tangeret nec tangeretur, nihil omnino vacans corpore esse aut seiunctum ab eo per se constare contendit[12]. Quare, quod consentaneum erat, in physica duas inprimis quaestiones instituit, alteram, quomodo in sensu animoque rerum notitiae existerent, alteram, quae animae natura esset qualisque cum corpore coniunctio. Ad alteram quaestionem priorem referenda sunt quaecunque exposuit de rerum effluviis ac simulacris. In quo argumento tractando maximam operam dedit ut, quod Aristotelem constat negasse, corporum

---

1) Diog. Laert. X 15. — 2) Ib. V 58. — 3) Krische l. l. p. 352. — 4) Diog. L. X 27. — 5) Cic. Nat. Deor. I 26. Steinhart. in Erschii et Gruberi artium et litter. encyclop. s. v. Epicuri p. 461. — 6) Diog. L. X 1. — 7) Diog. L. X 13. Cic. Nat. Deor. I 26, 72. — 8) Diog. L. V 10. — 9) Ib. X 1. Stahr Aristotelia I 146 sq. — 10) Plut. adv. Col. c. VII. Stahr l. l. p. 92. — 11) Diog. L. X 39. Lucret. I 422. De Stoicis vid. Tiedemann, System. Philos. Stoic. I 84. Zeller l. l. III 31. 48. 54. — 12) Diog. L. X 67.

particulas a rebus secerni inque ipsos sensus nostros animumque sese insinuare demonstraret. In altera quaestione Epicurus eandem atque aequales philosophi viam ingressus id maxime egit, ut mentem animam corpusque intima societate et necessitudine copularet inque unam naturam conciliaret. Itaque mentem, quam Aristoteles dixerat puram atque immobilem, non ratus ullo modo cum reliqua natura corporea posse coniungi, ipsam quoque statuit corpoream esse tamque necessario cum anima et corpore vinculo connexam, ut hac sola in coniunctione posset vigere. Diog. L. X 65. *Καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος ἡ ψυχὴ διασπείρεται καὶ οὐκέτι ἔχει τὰς αὐτὰς δυνάμεις οὐδὲ κινεῖται, ὥς' οὐδ' αἴσθησιν κέκτηται. Οὐ γὰρ οἷόν τε νοεῖν αὐτὴν αἰσθανομένην, μὴ ἐν τούτῳ τῷ συστήματι καὶ ταῖς κινήσεσι ταύταις χρωμένην, ὅταν τὰ στεγάζοντα καὶ περιέχοντα μὴ τοιαῦτα ᾖ οἷα ἐν οἷς νῦν οὖσα ἔχει ταύτας τὰς κινήσεις.*

Jam indagandum erit, qua via Epicurus in singulis placitis explicandis processerit. Quoniam cum Peripateticis, quos modo dixi, id maxime habuit commune, quod artissimum animi et corporis nexum constituit, ante omnia erit quaerendum, quid ipse novi ac diversi protulerit. Jam si sententias ab ipso Epicuro in epistolis breviter adumbratas apud Diogenem Laertium consideraveris [1]), facile reperias eum assentiri Peripateticis non potuisse; sin Lucretianam disputationem aliorumque auctorum testimonia adhibueris, Epicurum sive discipulos patebit acriter istos impugnasse. Qualis haec dissensio et controversia fuerit, infra exponam. Multo tamen acriorem pugnam omni tempore Epicurei subierunt adversus Platonicos et Stoicos. Nam physicas quaestiones hac una de caussa instituendas illi putarunt, ut deos et daemones ex mundo exturbarent animosque nostros nasci una cum corpore et perire probarent. Quare cum Peripateticis istis, qui ipsi mentis vim et dignitatem sumserant infringendam, in re gravissima consenserunt; dissenserunt prorsus a Platonicis et Stoicis, quorum tota doctrina in eo fuit fundata, ut vim divinam per omnes partes mundi penetrare hominumque mentes sua natura divinas esse docerent. Quamquam inter ipsos Platonicos et Stoicos opinionum magna fuit discrepantia. Inter Platonicos enim convenit non esse unquam animos nostros creatos; quapropter magistrum Platonem in Timaeo animorum ortum tantummodo explicandi caussa supposuisse censuerunt [2]). Contra Stoicis visum est animos in primo mundi ortu ex igni divino genitos nasci in humano corpore et post discessum a corpore ocius serius dissipatos in ignem, unde decerpti essent, coelestem et divinum esse redituros [3]).

His ita breviter disputatis, antequam ad singula argumenta accedam, paucis placita nonnulla sunt explananda graviora, in quibus Epicuri de anima doctrina est collocata. Notissimum est Epicurum ex mundo numen divinum expulisse; illud cum recte sentiret oportere et aeternum esse et beatum, tamen non vidit idem posse et mundum efficere et rerum curam gerere ac providentiam [4]). Huiusmodi opera et negotia opinatus esse molesta Deo sedem in intermundiis locavit, ubi nullis occupationibus implicatus sua sapientia et virtute gauderet [5]). Cui divinae vitae manifesto congruit ea, quam hoc in mundo hominis esse praedicavit sapientis; huius enim

---

[1]) Diog. L. X 63—66. — [2]) Plutarch. de anim. procr. e Tim. c. III. S. Augustin. de civ. dei lib. X c. 31. — [3]) Diog. L. VII 156. Censorinus de die nat. c. 4. Wyttenb. opusc. II 282. Stoicorum de animi nostri partu et interitu sententia infra exponetur. — [4]) Diog. L. X 123. 139. — [5]) Cic. Nat. Deor. I 19, 51.

quanto minor esset animi dolor et sollicitudo, tanto maiorem duxit voluptatem [1]). Atque illi quidem rationi Epicurus momentum tribuisse videtur plurimum. Etenim esse deos non omnino negavit; sustulit e mundo, quos animo informaverat, dominos acerbos necessitate sua acri atque inimica cum liberos naturae motus tum hominum libidinem omnem opprimentes. Diog. L. X 133: *τὸ δὲ παρ' ἡμῶν ἀδέσποτον· ᾧ καὶ τὸ μεμπτὸν καὶ τὸ ἐναντίον παρακολουθεῖν πέφυκεν· ἐπεὶ κρεῖττον ἦν τῷ περὶ θεῶν μύθῳ κατακολουθεῖν ἢ τῇ τῶν φυσικῶν εἱμαρμένῃ δουλεύειν.* Illam necessitatem ut funditus tolleret, operam putavit dandam esse studiis physicis. Addixit se Democrito; sed atomos et spatium inane mutuatus necessitatem, quam ille tanquam aeternum posuerat movendi principium, reiecit [2]), ipso nullam naturae caussam praeposuit, sed facta esse et fieri omnia dixit naturae motibus caecis et quasi voluntariis; quos motus ex animantium praecipue naturae libidine videtur deduxisse [3]). Ad huiusmodi placita Epicuri, si quaero, num ipsa philosophandi ratio, quae illo tempore vigebat, conferre aliquid potuerit, nullam invenio doctrinam magis illis fuisse accommodatam quam Aristotelicam. Quamquam nolo affirmare Epicurum acriori mente in Stagiritae philosophiam inquisivisse; at, nisi prorsus ad omnia caecus fuit, non potuit ignorare huius nova quaedam de deo placita novamque rationem explorandi res naturae. Aristoteles autem facile videbatur ipse deum omnia illum primo moventem ipsumque immotum ex mundo funditus eiecisse et in extimos coelos quasi relegasse, ubi nullo negotio obstrictus sola perfectae ipsius naturae contemplatione gauderet [4]). Idemque in rebus singulis, quae sub coelo fiunt, explicandis facile videbatur naturae caussis omnia, nihil menti divinae tribuisse [5]). Reprehenderat ille severius physicos antiquiores et saepius quidem Empedoclem, quod ad casum et fortunam primas rerum caussas rettulissent: quoniam res in mundo semper vel plerumque fierent ordine eodem, consequi dixerat naturam agere ad certum finem et rationem [6]); sed idem cum noluisset naturam in rebus gignendis esse ratiocinantem, iudicaverat illam sui insciam artis instar fingere omnia et procreare. Phys. II 12: *Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ μὴ οἴεσθαι ἕνεκά του γίγνεσθαι, ἐὰν μὴ ἴδωσι τὸ κινοῦν βουλευσάμενον. Καίτοι καὶ ἡ τέχνη οὐ βουλεύεται.* Huiusmodi placita Aristotelis qui primis labris gustasset, cum facile ad materiae principatum solamque vim naturae efferendam induci potuisse, Theophrasti ille discipulus probavit Strato Lampsacenus, quem supra dixi multa cum Epicuro habuisse communia. Ille cum in aliis rebus ab Epicuro vehementer dissentiret, ut vel palam scriptis eum impugnaret, hac tamen re cum eo conspiravit, quod nulla mente divina nullaque Deorum opera opus esse ad fabricandum mundum opinatus est. Nec minus consensit cum Epicuro, quod mundum animantem esse noluit. Denique utrique philosopho visum est mundi ordinem non, ut Aristoteles decreverat, ex aeterno tempore esse constitutum, sed aliquando incepisse et ex statu quodam, in quo casus regnasset,

---

1) Diog. L. X 136. 139. Cic. de fin. I 11. — 2) Diog. L. X 90. — 3) De hac re uberius disputavi in Quaestionibus Lucretianis, quas edidi Bonnae 1847 p. 28. — 4) Arist. de coelo II 12: *τῷ δ' ὡς ἄριστα ἔχοντι οὐθὲν δεῖ πράξεως.* Zeller. l. l. II 436. 440. Brandis. l. l. III 574 sqq. Divinae felicitati congruit humana, cum posita sit in mentis contemplatione, quae se ipsa est contenta. Arist. Eth. Nic. X 7. 8. Similitudinem, quae Epicuro est cum Aristotele, tangit Zeller. l. l. III 276. — 5) Zeller. II 455 sqq. — 6) Phys. II 3: *Ἀδύνατον δὲ ταῦτα τοῦτον ἔχειν τὸν τρόπον· ταῦτα μὲν γὰρ καὶ πάντα τὰ φύσει ἢ ἀεὶ οὕτω γίνεται ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ· τῶν δ' ἀπὸ τύχης καὶ τοῦ αὐτομάτου οὐδέν.*

imperfecto prodisse [1]). Nec vero Strato plane ab Aristotelis schola defecit. Nam post fortuita mundi initia casum regnare noluit; imo vim tribuit omnem naturae, quae paullatim ex casu in hunc statum transgressa iamque suis viribus quasi contenta omnes caussas haberet fingendi et vivendi [2]). Non fere aliter de natura cogitavit Epicurus. Hic ut dixerit in primo rerum ortu ad casum et fortunam omnia cecidisse, in mundo tamen constituto omnia certo semper suo ordine constare pronuntiavit. Quemadmodum Aristoteles omnes res certis naturae finibus circumscripsit et praecipue animantia certo semper semine enasci et genus propagare declaravit, ita Epicurus ab simili rerum contemplatione profectus sententiam protulit, non quidlibet ex quolibet oriri sed seminibus opus esse, unde res gignerentur. Diog. L. X 38: *οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἄν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον.* In qua sententia Epicurus physicae suae decreta posuit gravissima. Ab illa exorsus rebus omnibus probavit primordia subesse solida et immutabilia [3]). Atque hoc ipsum tanquam novi quiddam ab Epicuro illatum est doctrinae Democriti, quod non rationes, quas ille ab Eleaticis philosophis mutuatus erat, subtiliores et disserendi via inventas, sed rerum potius ordinem, quem oculis conspicimus, certum et definitum ad primordia sua efficienda adhibuit. Eodem rerum ordine Epicurus ex mente Aristotelis ita usus est, ut philosophorum de mundi natura sentiente et intelligente deque animorum origine et migratione sententias confutaret. Quae controversia licet in paucis illis, quae supersunt, ipsius Epicuri librorum reliquiis desideretur, tamen cum ex doctrinae ratione paene necessario consequatur, tum exemplo probatur discipulorum, quos traditum est in omnibus presse magistri vestigia esse secutos.

Haec disputanda putavi, ut de Epicuri placitis gravioribus satius constaret. Lucretius magistri mentem secutus in primordiis solidis et immutabilibus defendendis a certa ac definita rerum natura et praecipue ab animantium generibus exempla desumpsit [4]). Nemo autem non facile cognoscet poetae philosophi mentem illa ipsa rerum contemplatione maxime esse incitatam et quodam quasi furoris afflatu incensam. Nam poeta, cum naturae potestatem videat finitam, persuadet sibi mundum liberatum esse a deis dominis, qui suo arbitrio regere cuncta et leges imponere naturae alienas possint putari [5]). Illis ergo dominis ut omne imperium eripiat, naturam laudat liberam, omnia suopte impetu et infinita materiae copia pollentem [6]), simul gignentem res et corrumpentem, simul vitam et mortem, florem et languorem afferentem [7]), sed in continuo rerum fluxu ac vicissitudine ad proprias suas leges certa semper rerum genera conservantem et propagantem [8]). Nec minus facile illud perspici poterit, poetam eadem rerum contemplatione mirifice oblectari, ut ipsam pacem, concordiam, voluptatem, quae per universam naturam est diffusa, intimo animo perceptam tanquam vim declaret solam illam cuncta procreantem

---

1) Plutarch. adv. Colot. c. XIV: (*ὁ Στράτων*) *τὸν κόσμον αὐτὸν οὐ ζῷον εἶναι φησί, τὸ δὲ κατὰ φύσιν ἕπεσθαι τῷ κατὰ τύχην· ἀρχὴν γὰρ ἐνδιδόναι τὸ αὐτόματον, εἶτα οὕτω περαίνεσθαι τῶν φυσικῶν παθῶν ἕκαστον.* Dilucide hunc locum explicavit Krische l. l. p. 354. — 2) Cic. Nat. Deor. I 13. Acad. II 38. Lactant. de ira dei c. 10. — 3) Diog. L. 38. 41. — 4) Lucret. I 159—265. 540—65. 577—99. 770—82. II 512—15 (de finita figurarum diversitate) 661—73. 817—26. 1089. De hac ratione copiosius dixi in Quaestt. Lucrett. p. 7. 16—25. — 5) Lucret. I 56—80. V 87—91. 1184. — 6) II 1090—1105. — 7) I 263 sq. II 66—79. 569—82. V 826—34. — 8) II 707 sq. V 920.

et certas naturae leges terminantem [1]. Quas leges modo motus concordes et convenientes, modo voluptatem appellat [2]; quin ipsam deam in mundum inducit Venerem [3], nec eam dissimilem illi numini, quod antiquissimo tempore Orphici Graeci, postea e philosophis Empedocles, e poetis Euripides inprimis Amoris et Amicitiae nomine nuncupatum naturae praeposuerunt [4]. Lucretius tamen, quia non caussam extrinsecus moventem sed vim ipsius naturae propriam sumpsit laudandam, ea quidem re ab Empedocle longius discessit, propius accessit ad Aristotelem. Huius de natura artifice sententiae simillima est natura a Lucretio celebrata, prorsus quidem illa caeca et ratione divina privata, sed certis suis et ingenitis legibus adstricta. Et tam quidem penitus illas leges naturae infixas poeta cernit, ut nullo tempore ab eis discedi posse affirmet. Quare non probat portenta velut semiferas hominum species, animantia truncata, alia similia; talia etsi ex Empedoclis opinione fingit primo mundi tempore e terra provenisse, tamen, quod ille putaverat, ea constitisse et vixisse refutat propterea, quod naturae legibus certoque rerum ordini repugnent; quaecunque enim gignantur, ea affirmat omnino non posse consistere, nisi partibus constent et motibus inter se convenientibus et concordibus [5]. Illa in convenientia caussam ponit totius mundi; mundum corpus quoddam esse diversis membris compositum sed totum atque unum, ita ut animalis instar crescat et floreat et decrescat [6]; maxima mundi membra vel quatuor elementa propria vi ac natura inter se inimica esse et pugnantia, sed gerere illa bellum certamine aequo [7]; elementa misceri inter se et verno quidem tempore calida atque humida, Coelum ac Terram tanquam coniugio quodam vinciri inter se artissime [8]; hinc gigni atque ali in mundo res varias omnes: elementorum enim particulas discordes inter se et hostiles [9] habitum suum velut ignis, aëris deponere, ut convenienti ratione temperatae in res coalescant vere novas [10]. Qua quidem caussa Lucretius ipsis elementis subesse concludit corpora individua, caeca, solis formis inter se distantia. I 778—82:

> At primordia gignundis in rebu' necessest
> naturam clandestinam caecamque adhibere;
> emineat ne quid, quod contra pugnet et obstet
> quominus esse queat *proprie* quodcumque creatur.

Haec sententia iam videndum est quatenus ad animalium hominumque naturam explicandam pertineat. Lucretius acriter attendit rerum, quas mundus continet, varietatem maximam: omnes res esse definitas certo discrimine generis, sed uniuscuiusque generis res singulas inter se dissimiles esse adeo, ut suam quaeque prae se ferat speciem ac naturam propriam [11]. Cuncta autem et animalia et inanima tam inter se diversa cum ali videat et gigni ex eisdem mundi elementis continuo illis corpora inter se convertentibus concludit ipsam vim sentiendi in animalibus hominibusque effici sola atomorum motuumque quadam convenientia.

---

1) Lucret. I 1—44. — 2) II 712. V 442. II 172. — 3) I 2. — 4) Exempla Empedoclea et Euripidea a Lucretio imitatore expressa attuli in quaestt. Lucrett. p. 37 sqq. — 5) II. 700 sqq. V 875—922. Emped. fragm. ed. Karsten p. 445 sq. — 6) II 1105 sqq. — 7) V 392. — 8) I 250 sqq. II 991 sqq. Mythum de Coeli et Terrae coniugio antiquissimum ipse laudavit Aristoteles de gen. an. I 2. — 9) I 759—63. — — 10) Arist. de gen. et corr. I 10: *ἡ δὲ μίξις τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις.* — 11) II 347—81.

De qua re disputat in libro II 865 — 1023. Itaque pugnam facit philosophis omnibus, quotquot sensum putarunt inditum esse ipsi mundo sive elementis, quibus animalis corpus sentiens componeretur [1]). Et primum quidem illud, quod protulisse supra dixi Aristotelem, premit, nonnulla animalia ex ipsis rebus inanimis, velut vermes ex tellure humida vel stercore putrido gigni perfecta [2]). Deinde, quod eisdem physicis opposuit Aristoteles, affert non omnes res ex elementis mixtas vitali sensu praeditas esse [3]). Denique quod gravius est argumentum et subtilius, ostendit in ipso corpore nostro sensum per omnes quidem partes esse pertinentem, sed singula membra sola per se nihil sentire, nisi coniuncta hoc uno corpore contineantur [4]). Itaque sensum, qui toti insit corpori, censet omnem ex una caussa et sola quidem vi pendere foederis, quo diversa membra in uno corpore sint conciliata [5]). Cum qua Lucretiana disputatione conferre licebit rationem Aristotelis, qui veteres physicos reprehendit, quod non vidissent pro ipsorum placitis complures animas uni corpori inesse posse [6]). Quod autem Aristoteles et alii suspicati sunt sensisse Empedoclem [7]), id Lucretius multo certe melius sensit, cum non in vi quadam materiae, sed in sola compositionis ratione sensus caussam collocet. Sed Epicureus, cum vim animae neget ante existere quam diversa corpora in unum foedus et motus convenientes coiverint, pugnam intendit ipsi Aristoteli affirmanti illi ipsum animal prius fuisse quam semen unde nasceretur [8]). Et ad suam quidem sententiam confirmandam adhibet Lucretius eadem illa, quae saepius ipse memoravit Aristoteles, exempla animalium ex tellure humida nascentium; qnibus adiungit ovi illud exemplum antiquissimum, quod supra, ubi Empedoclis et Aristotelis doctrinam exposui, paucis a me memoratum est [9]). Quod exemplum cum constet multum a Peripateticis esse agitatum, coniici licet post Aristotelem renatam esse veterem controversiam, cum Peripatetici ovum prius fuisse quam animal negarent, Epicurei affirmarent. Cuiusmodi controversiae insigne exemplum proposuit Plutarchus in quaestiunculis suis symposiacis [10]). Itaque Lucretius veterem illam Empedoclis sententiam amplexus in primo etiam mundi ortu animalia ex ipsa terra creata esse „imbribus et calido solis concreta vapore" et

---

1) Ab hac pugna differt altera, quam Lucretius in libro tertio suscipit adversus Pythagoreos et Platonicos, qui animam extrinsecus in corpus insinuari integram et totam docuerunt. Quamquam hos etiam philosophos unaque Stoicos adiungere ceteris physicis licebit, cum et ipsi mundum animantem esse censuerint. Et ipsum quidem Platonem cum illis componit Aristoteles eo loco, ubi cum alios physicos, tum Empedoclem reprehendit; qui quidem physici cognitionem nostram effici arbitrati rerum et animi nostri quadam affinitate similia similibus cognosci decreverant. Cf. Arist. de an. I 2, 6. Vid. Trendelenb. comm. p. 220 sqq. Karsten. Emped. p. 494. — 2) Eandem rem et Lucretius et Aristoteles saepius proferunt. Lucret. II 871. 898. 928. III 717. V 794. Arist. de gen. an. I c. 1. c. 16. III c. 11. — 3) Vid. supra p. 9. Lucret. II 886—902. — 4) Lucret. II 902—24. — 5) Lucretiani versus 973—91 non sunt iusto loco positi, cum ad eandem controversiam spectent, quae versibus 907—24 continetur. In singulis argumentis confutandi modus cernitur illi similis, quo usi sunt Aristoteles de an. I 5, 5 sqq. et Theophrastus de sensu c. 12. — 6) Arist. I 4, 6: *συμβήσεται οὖν πολλάς τε ψυχὰς ἔχειν καὶ κατὰ πᾶν τὸ σῶμα, εἴπερ πάντα μὲν ἐκ τῶν στοιχείων μεμιγμένων...* — 7) Arist. ib. Philoponus de an. I c. 1, cf. Karsten. p. 498: *ὁ Ἐμπεδοκλῆς οὐκ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα ἔλεγεν εἶναι τὴν ψυχήν, ἀλλὰ τοὺς τούτων λόγους εἶναι ἐν αὐτῇ.* — 8) Vide p. 10 adn. 2. — 9) Ib. Lucret. II 927. — 10) Lib. II quaest. 3 cf. Censorin. de die nat. c. 4. Macrob. Saturn. VII 16.

alia quidem ut aves ex ovis, alia ut homines ex uteris quibusdam terrae adhaerentibus erupisse commentus est [1]). Ovi exemplo proposito Lucretius transitum sibi paravit ad refutandos Stoicos. Hi enim animas putarunt nasci in humanis corporibus sed sub ipsum demum partum mutatione aliqua foris per aërem facta animari et sensus vigore incendi [2]). Quam opinionem Lucretius refellit argutius afferens mutationem omnino evenire non posse, nisi materiae particulis ante conciliatis [3]). Redit ergo poeta ad sententiam de motuum convenientia [4]); in sola illa primam sensus caussam esse ponendam.

Cur Lucretius ne Stoicis quidem pepercerit, qui et ipsi nasci animas opinarentur, id si quaeras, respondendum erit, Epicureos vim igneae sive aëreae materiae sustulisse, quo illorum de igni spirituque coelesti et divino sive de anima mundi opinionem convellerent. Nam illud quidem ipsi affirmarunt coelestis caloris in natura et animantibus vim esse maximam; quin, quod infra videbimus, in animi nostri corpore explicando particulis igneis et aëreis, quae ex crassioribus mundi elementis essent conflatae, alias addiderunt nomine vacantes et elemento, quale Aristoteles [5]) definiverat, puriori atque astrali sive aethereo simillimas; sed illas particulas noluerunt haustas esse ex coeli sive mundi natura divina et intelligente. Eiusmodi de origine divina placitum Epicuri doctrinae prorsus fuisse alienum testatur Cicero, qui in primo de natura deorum libro [6]) Cottam inducit Epicureo Velleio talia opponentem: „Semina deorum decidisse de coelo in terras putamus et sic homines patrum similes exstitisse? Vellem diceretis; deorum cognationem agnoscerem non invitus. Nihil tale dicitis, sed casu esse factum, ut essemus similes deorum.“ Ante Stoicos similem sententiam amplexi erant e Graecis philosophis Pythagorei et Anaxagoras, e poetis Epicharmus et Euripides, quos imitati sunt poetae Latini [7]). Lucretius in ipso carminis sui exordio tangit commentum Ennianum [8]) de animis, quae pullis divinitus insinuarentur, alio loco sententiam refutat Pacuvi [9]) Aetheris vim tanquam divinam laudantis. Quam vero acriter Epicurei illam de anima mundi deque coeli et siderum divinitate opinionem exagitaverint, ex disputatione intelligi potest Epicurei Vellei, quem dissentientium philosophorum placita explodentem facit Cicero [10]). Ratio gravissima, qua utitur Velleius, posita est in illa, quam supra attuli, sententia Epicuri dicentis, mentem non in quolibet corpore, sed solo in humano existere et vigere posse [11]). Unde iam clarius apparet, quanta sit Epicuro similitudo cum Aristotele, qui quidem, ut supra ostendi, in superioribus philosophis

---

1) Cf. Karsten. l. l. p. 441 sqq. Lucret. V 790 sqq. — 2) Lucret. II 931—44. Chrysippus ap. Plutarch. de Stoic. Repugn. c. 41: *τὸ βρέφος ἐν τῇ γαστρὶ φύσει τρέφεσθαι, νομίζει, καθάπερ φυτόν· ὅταν δὲ τεχθῇ, ψυχούμενον ὑπὸ τοῦ ἀέρος καὶ στομούμενον τὸ πνεῦμα μεταβάλλειν, καὶ γίνεσθαι ζῶον.* Cf. Lobeck. Aglaoph. I p. 758. Tiedemann. Syst. Philos. Stoic. II 148 sqq. — 3) Cum Lucretianis versibus 926—31. 937—41 plane congruunt verba Plutarchi in Sympos. II quaest. 3, 2: *ἀνάγκη γὰρ ἐν πάσῃ μεταβολῇ πρότερον εἶναι τοῦ μεταβάλλοντος, ἐξ οὗ μετέβαλε. σκόπει δέ, ὅτι σκνῖπες ἐν δένδρῳ καὶ τερηδόνες ἐμφύονται ξύλῳ κατὰ σῆψιν ὑγρότητος ἢ πέψιν.* — 4) Lucret. v. 941: „convenientes motus“. — 5) Vide supra p. 9 adn. 8. — 6) c. 22, 91. — 7) Exempla philosophorum et poetarum cum Lucretianis composui in Quaestt. Lucrett. p. 68 sqq. — 8) Lucret. I 116. Cf. V 790. Vide Vahlenium in Quaestt. quas praemisit Ennianae poesis reliquiis p. XXI sq. — 9) Lucret. V 318—324. Cf. Pacuv. Chrys. fragm. VI. VII in Tragicor. Latinor. Reliquiis ed. Ribbeck. p. 71. — 10) Cic. Nat. Deor. I 10 sqq. Rationes, quas affert Velleius, a Cicerone ex Phaedri egregii Epicurei libro *περὶ θεῶν* haustae sunt. Vid. Krische. die theol. Lehren d. griech. Denker p. 28. — 11) Vide supra p. 13.

illud severe notavit, quod animum, non reputantes in quam figuram corporis cadere posset, cuiusvis animantis corpori, etiam elementis, velut igni, aëri indidissent. Sed Epicurus multo acrior adversarius etiam coelestium corporum divinitatem, quam ipsi Aristoteli vidit valde probatam esse sustulit [1]. Eaque in universum inter Epicurum et Aristotelem magna fuit dissimilitudo, quod ille ad mentis vim, quae cernitur in corpore humano, hic ad eam vim, quae in coelestibus conspicua est, numen supremum animo suo informare maluit [2]. Sed haec quidem de sensus vigore, qui omnium animantium communis est, hactenus; iam inquirendum erit qualem Epicurus nostri animi naturam, qualemque eius cum corpore coniunctionem constituerit.

Quod supra dixi, Epicurus cum Peripateticis illud maxime habuit commune, quod animum cum corpore vinculo consociavit artissimo. At cavit tamen, ne utramque naturam plane confunderet; nam ut animam a corpore, ita ab anima ipsa distinxit mentem eamque et sede et facultate ab illa diversam. Diogenes Laertius X 66: *καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἄλογον εἶναι, ὃ τῷ λοιπῷ παρεσπάρη σώματι· τὸ δὲ λογικόν, ὃ ἐν τῷ θώρακι.* Hanc accuratiorem partium distinctionem Epicurus atomorum doctrinae applicavit, prorsus, ut videtur, incognitam illam Democrito, qui, ut Aristoteles quidem animadvertit, animam animumque unum idemque esse existimavit [3]. Induxit igitur Epicurus animi quasi quendam principatum. Qua re apparet eum a Socratis schola non plane defecisse unaque cum Stratone propius quam Dicaearchum et Aristoxenum afuisse ab Aristotele. Et licet suspicari ipsum Epicurum sive discipulos adversus duos istos Peripateticos de hac ipsa sententia scriptis contendisse. Cuiusmodi contentionis vestigia extant certissima in disputatione Lucretiana, quae legitur in libro III 94—136. Lucretius disputandi de anima initium sumit ab harmonia illa, quae sententia Peripateticis istis maxime fuit probata. Nimirum par est, antequam suam de animo nostro sententiam proferat, eos redarguere, qui esse animum omnino negarunt. Omnem autem disputationem ita instituit, ut animum vel mentem hominis esse partem eamque certa in sede positam demonstret. Et primum quidem illud, quo ipse usus est Aristoteles, argumentum profert, harmoniam ad corporis valetudinem, non ad animum posse referri [4]. Affert igitur eodem tempore aliud corpore aliud animo posse sentiri et animum quidem interdum laetari et dolere, dum corpus prorsus diversa sentiat aut omni sensu careat [5]. Deinde, quod Dicaearchum vidimus statuisse, vim omnem et agendi et sentiendi in omnibus corporibus vivis *aequabiliter* esse fusam, id ipsum refutat, cum unam partem ad vitae salutem designet esse potiorem, quae magna etiam corporis parte lacerata vitam in membris retineat et sola, si tollatur, omnem ex toto corpore sensum auferat [6]. Denique simili modo ac Socrates apud Platonem Pythagoreos, quod nomine utantur harmoniae, irridet [7].

---

[1]) Diog. L. X 76. 77. [adn. Casaubon. ap. Meibom.] 78. 81. 97. 113. — [2]) Sext. Emp. adv. math. IX 20. vid. Krische l. l. p. 302 sq. Zeller l. l. II 555 sq. — [3]) Arist. de an. I 2, 5. Vid. Trendelenb. comm. Mullach. Democriti fragm. p. 397. Wyttenbach. opusc. I 216 (de loco Plutarchi in plac. phil. IV 3). — [4]) Lucret. III 102. Arist. de an. I 4, 4: *ἁρμόζει δὲ μᾶλλον καθ' ὑγιείαν λέγειν ἁρμονίαν, καὶ ὅλως τῶν σωματικῶν ἀρετῶν, ἢ κατὰ ψυχῆς.* — [5]) Lucret. v. 113. — [6]) Ib. 124. Facile quis hoc loco induci potest ut credat Lucretium soli animae vim vitalem tribuere. At, quod infra videbimus, venti calidique vaporis fuga mortem non adducit, nisi ante mentis vis est collabefacta. Cf. vs. 397 sqq. — [7]) Plat. Phaed. p. 95 B. Cf. Steinhart. adn. 41 p. 575.

Eadem doctrinae ratio cernitur in ea, quae sequitur, disputatione v. 136—417. Cuius quidem duas partes distinguere licet, quarum altera ostenditur, quae utriusque partis et animae et mentis sit natura et quomodo duae illae partes inter se sint mixtae et contextae (v. 136—323); altera, quae commixtae illius naturae sit cum corpore coniunctio (v. 323—417). Simili ratione haec argumenta ipsum tractasse magistrum ex paucis, quas Diogenes Laertius servavit, Epicurei operis reliquiis coniici potest (lib. X 63—66); in quibus quae sectione 63 continentur maiorem partem spectant ad disputationem priorem, quae subsequuntur, ad partem posteriorem. Utraque autem Lucretiana disputatio ita est comparata, ut ex tribus naturae nostrae partibus, quae artissimo vinculo inter se colligatae atque implicatae corpus efficiunt unum ac totum, mens efferatur tanquam princeps pars et animae corporisque domina. Quae sententia cum in initio argumentationis posita in fine repetatur, in ea singula argumenta coire et quasi in unum colligi apparet. Itaque Lucretius exordium facit his versibus [1]):

Nunc animum atque animam dico coniuncta teneri
inter se atque unam naturam conficere ex se,
sed caput esse quasi et dominari in corpore toto
consilium, quod nos animum mentemque vocamus.

Mentis sedem in pectore collocat, animam menti parere eaque moveri dicit [2]):

cetera pars animae per totum dissita corpus
paret et ad numen mentis momenque movetur.

Deinde repetit id, quod antea attulit, mentem solam per se sibi sapere et laetitia affici posse [3]):

idque sibi solum per se sapit: id sibi gaudet,
cum neque res animam neque corpus commovet una.

Ubi vero mens vehementer commoveatur, totam animam perculi et ipsum deinde corpus ici et propelli [4]). Unde consequi vult mentis et animae naturam esse corpoream: quod enim tangat aut tangatur, id necessario corpus esse [5]). Deinde transgreditur eo, ut utramque partem constare ostendat corpusculis levissimis eisdemque disparibus sed ita mixtis inter se et temperatis, ut animae et mentis natura evadat una, cuius tamen altera pars potior subsit alteri tanquam sentiendi principium vitaeque fundamentum [6]). Atque in hac quoque argumentatione primam ac gravissimam rationem petit a mentis natura, cuius agilitatem et cogitandi celeritatem declarat esse maximam [7]):

nil adeo fieri celeri ratione videtur,
quam sibi mens fieri proponit et inchoat ipsa.

---

[1]) III 136—40. — [2]) v. 143. 44. — [3]) v. 145. 146. Cf. v. 112—17. Diog. L. X 64: *τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα παρασκευάσαν τὴν αἰτίαν ταύτην μετείληφε καὶ αὐτὸ τοιούτου συμπτώματος παρ' ἐκείνης, οὐ μέντοι πάντων ὧν ἐκείνη κέκτηται.* Quem locum dilucide interpretatur Gassendus Opp. tom. II 330: Corpus autem, cum illi praestet, ut hanc sentiendi caussam possideat, efficitur quidem et ipsum effectus huiusce ab illa procedentis particeps (sentit quippe), at non tamen omnium, quae ea possideat. Cf. Diog. L. ed. Huebner. adnot. Aldobrandin. — [4]) v. 147—61 praeclarum eiusdem rei argumentum extat in libro IV 880—904. — [5]) v. 161—77. — [6]) v. 177—258—323. Singula Lucretiana argumenta ad Epicuri mentem expressa sunt. Diog. L. X 63: *τοῦτο δὲ πᾶν αἱ δυνάμεις τῆς ψυχῆς δηλοῦσι καὶ τὰ πάθη καὶ αἱ εὐκινησίαι καὶ αἱ διανοήσεις, καὶ ὧν στερούμενοι θνήσκομεν. καὶ μὴν καὶ ὅτι ἔχει ἡ ψυχὴ τῆς αἰσθήσεως τὴν πλείστην αἰτίαν δεῖ κατέχειν.* — [7]) v. 182—86.

Cui rationi subiungit exemplum de corpore mortuo sumptum, quod ad animae animique naturam contextam est referendum [1]). Tum corpusculorum, quibus anima composita sit, genere triplici aurae caloris aëris distincto revertitur ad mentis naturam definiendam [2]). Illius corpus vult nomine omnino vacare; nec esse illa natura mobilius quicquam nec tenuius; illam primo conciri, tum reliqua moveri sensumque creari in ipsis corporis artubus; illa si labefacta sit, non posse non omnia perturbari adeo ut vel vitae periculum minitetur [3]). Denique cum animae et mentis corpuscula mixta inter se unum corpus efficere velit, tamen mentem distinguit ut vim penitus in membris latentem et totius animae quasi animam et toto corpore dominantem [4]):

sic tibi nominis haec expers vis, facta minutis
corporibus, latet atque animae quasi totius ipsa
proporrost anima et dominatur corpore toto.

Postremo ex diversa partium illarum temperatione enasci docet animalium hominumque mores diversos. Atque homines quidem pro temperationis varietate alios aliis affectionibus magis esse obnoxios; nec posse quae ab ipsa natura data sint mala et vitiosa radicitus unquam ex animis expelli; at minui tamen illa emendarique doctrina et ratione adeo ut quidam homines ad morum quendam consensum ducantur et singuli vitam degant, quae cum deis possit comparari [5]):

ut nil inpediat dignam dis degere vitam.

Alteram, quam supra distinxi, disputationem (v. 323—417) Lucretius orditur ab eo, ut animae mentisque unam illam et contextam naturam dicat tum ab omni corpore teneri, tum ipsi corpori custodem esse et caussam salutis [6]). Finit autem argumentationem repetendis eis, quae antea dixit, mentis vim dominantiorem esse quam animam [7]):

Et magis est animus vitai claustra coërcens
et dominantior ad vitam quam vis animai.

Item repetit, quae supra opposuit Pythagoreis, magna etiam corporis sive animae parte dempta mentis vi vitae salutem in membris servari. Hanc vero sententiam ut magis illustret, iam exemplum adhibet praeclarum de oculi acie cernendi. Illam in pupula sitam, etiam si oculus laceretur, modo ne orbis corrumpatur totus, vi sua vigere incolumi; ubi vero ipsa pupula laedatur, extemplo lumen omne occidere [8]):

ut, lacerato oculo circum si pupula mansit
incolumis, stat cernundi vivata potestas,
dum modo ne totum corrumpas luminis orbem,
et circum caedas aciem solamque relinquas:

---

[1]) III 208—31. — [2]) v. 231—38. — [3]) v. 238—58. — [4]) v. 258—82. — [5]) v. 282—323. — [6]) v. 323 sq. — [7]) v. 396 sq. — [8]) v. 408—17. Versus 412 et 415, qui uncis sunt inclusi, Lachmannus et Bernaysius spurios esse iudicarunt. Posteriorem versum nuperrime Goebelius meo quidem iudicio felicissime emendavit scribendo „linquatur“ pro „alioqui“. Minus probo quod idem vindicare Lucretio conatus est versum 412, in quo non video „eorum“ ad praecedentia posse referri. Cf. Goebel. Observatt. Lucrett. ed. Bonnae 1854 p. 29 sq.

[id quoque enim sine pernicie non fiet eorum]
at si tantula pars oculi media illa peresa est,
occidit extemplo lumen tenebraeque secuntur.
[incolumis quamvis alioqui splendidus orbis]
hoc anima atque animus vincti sunt foedere semper.

Similem animae cum visus acie comparationem supra memoravi institutam ab Aristotele [1]). Lucretius vero exemplum invenisse videtur in scriptis Epicuri [2]).

Jam ut ea, quae a Lucretio de mente sunt disputata, proponam paucis collecta, apparet mentem cum anima commixtam omni corpore contineri et eo quidem pacto illi iunctam esse, ut nisi cum totius naturae interitu divelli non possit; at eandem, ubi re externa pulsa sit, in corpore fieri caussam sentiendi; porro eandem vim esse totum corpus custodientem vitaeque salutem maxime sustentantem. Nec Lucretius mentis naturam a corpore omni modo facit suspensam, quasi omnino non possit societate illius carere. Negat illam quicquam sentire aut degere posse a corpore disiunctam, at coniunctam illam cum corpore vult sui esse potentem, ut sua quasi vi innitens sola sibi sapiat sibique gaudeat, cum nec anima nec corpus re moveatur ulla. Denique constituit eam in corpore tanquam principem et dominam, quae sola regat et temperet et uniat partes diversas et discordes talemque totius naturae efficiat concentum, qualis hominem divinae exaequet felicitati.

Illas vero sententias Lucretius ad magistri Epicuri placita eo modo expressit, ut ipse non nova quaedam condiderit sed doctrinae illius interpres extiterit fidissimus. Optime de magistro discipulus meruit, quod doctrinae rationes difficiliores penitus perspexit perspectasque suis luminibus collustravit; ipse tamen nihil adiecit, cur dissedisse a schola sua putetur [3]). Quod tantis verbis vim praedicat mentis naturae, id ipsum imitatione facit Epicuri, quo nescio an nemo philosophus iactantior fuerit in ratione humana efferenda hominisque sapientis felicitate glorianda [4]). Nec Epicurus in animae natura explicanda quicquam habuisse videtur antiquius, quam ut menti principatum vindicaret. Quod cum illis sententiis, quas modo cum Lucretianis com-

---

1) Vid. supra p. 9. — 2) Diog. L. X 65: *Διὸ δὴ καὶ ἐνυπάρχουσα ἡ ψυχὴ οὐδέποτε, ἄλλου τινὸς μέρους ἀπηλλαγμένου, ἀναισθητεῖ, ἐάνπερ διαμένῃ τὸ ὀξὺ κατὰ τὴν αἴσθησιν, ἀλλὰ ἂν καὶ αὕτη ξυναπόληται, τοῦ στεγάζοντος λυθέντος εἴθ' ὅλου εἴτε καὶ μέρους τινός·* verba quae subinde sequuntur conferunt ad versum 415, quem Goebelius emendavit, explicandum: *τὸ δὲ λοιπὸν ἄθροισμα διαμένον καὶ ὅλον καὶ κατὰ μέρος οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν, ἐκείνου ἀπηλλαγμένου ὅσον ποτέ ἐςι τὸ συντεῖνον τῶν ἀτόμων πλῆθος εἰς τὴν τῆς ψυχῆς φύσιν.* — 3) Non assentior Steinhartio (in Ersch. et Gruber. encycl. s. v. Epic. p. 476 adn. 44) Epicurum in corporis, Lucretium in animi dissolutione hominis interitum posuisse. Ex uno illo, quem exhibet, loco Diog. L. X 65 intelligitur Epicurum censuisse animae partem, qua sensus acumen contineretur (*τὸ ὀξὺ κατὰ τὴν αἴσθησιν· τὸ συντεῖνον τῶν ἀτόμων πλῆθος* vid. adn. 2), interituram esse, si vel totum corpus vel pars contegens dissolveretur. Qualis illa pars sit, non est indicatum; non qualemcunque fingi licere ex loci initio apparet. Lucretius idem affirmat de toto corpore v. 322—26; nec tacet de parte v. 413. Ut enim visus laesa pupula, ita sentiendi acies parte illa, qua contegitur, corrupta pereat est necesse. — 4) Diog. L. X 132: *τὸ μέγιςον ἀγαθὸν ἡ φρόνησις.* Ib. 135: *ζήσῃ δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. Οὐθὲν γὰρ ἔοικε θνητῷ ζώῳ ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς.* Cf. Stob. serm. 17, 30.

posui, tum aliis testimoniis ipsiusque disciplinae ratione confirmatur. In singulis testimoniis [1]) unum mirum videri potest, quod affert Plutarchus, Epicurum mentem appellasse *τὸ ἡγεμονικὸν ἀπαθές* [2]). Quae sententia cum nullo modo cum Platonis vel Aristotelis placito debeat confundi, eo tamen poterit explicari, quod Epicurus operam dedit maximam, ut mentem turbidis motibus posse vacare et solam sibi sapere sibique gaudere comprobaret. Nam quo maxime a philosophis dissedit Cyrenaicis [3]), summam, quae homini appetenda esset, voluptatem in animi indolentia et tranquillitate positam esse iudicavit [4]). Moralibus vero praeceptis physicam doctrinam adhibuit quasi adiumentum quoddam necessarium [5]). Qua quidem ratione valde declinavit a Democrito; cuius de principiis naturae sententias cum probasset, noluit tamen cum eodem omnes res naturae perscrutari; angustioribus physicam coërcuit finibus et omnem disciplinam eodem paene, unde Socrates erat exorsus, revocavit, ut de hominis potissimum condicione et recto vivendi statu inquireret. Ante omnia vero hominem vitae tempestatibus eripere et suae quemque privatae sortis dominum reddere constituit. Quae philosophandi ratio nemini poterit mira videri reputanti quam afflictae illis temporibus ac labefactae fuerint et domesticae res et publicae. Eandemque animi libertatem et securitatem sua philosophia sustentarunt Stoici. Quanquam inter utramque scholam haec dissimilitudo intercessit permagna, quod Stoici virtutis et honestatis pretio impulsi magnitudine quadam animi uti et agere fortia, Epicurei voluptatis cultores prudentia et cautione adhibenda arcere a se adversas res et contrarias maluerunt. Idque Stoicis in sua de animo doctrina multo licuit affirmare confidentius mentem in homine partem esse et potestate et dominatu praestantissimam. Nam oriundam illam existimarunt stirpe divina. Nec quod Epicureis visum est, mentem contineri corpore, sed ipsam sua vi complecti omne corpus et tenere voluerunt [6]).

Explicata caussa cur Epicurei Pythagoreorum illam de harmonia sententiam reiecerint mentisque principatum tueri tantopere studuerint, restat tamen ut moneamus, ipsos pro peculiari doctrinae suae ratione non penitus ab istis dissentire potuisse. Nam mentem tantum afuit ut esse per se et exsistere concederent, ut nihil curasse videantur studiosius, quam ut solo in corpore nostro vigere illam probarent. Quod autem Pythagoreorum maxime proprium fuisse iamque Platoni refutationis caussam dedisse vidimus, idem protulerunt Epicurei dicentes animum totamque hominis naturam in corporum convenientia quadam vel temperatione positam esse. Cuius temperationis supra primum eiusmodi proposui exempla, quibus pateret, universas res et animatas et inanimas sola illa ex caussa naturae suae ducere vim et proprietatem; deinde adhibitis libri secundi argumentis ostendi eadem caussa animantium contineri vim sentiendi; iamque addendus est libri tertii ille locus, quo hominis animae et mentis corpora dicuntur ita inter se mixta esse, ut corpus efficiant unum multis constans viribus, quae singulae secretae non possint sentire [7]):

---

[1]) Plut. adv. Col. c. 20: *τὸ γὰρ ᾧ κρίνει καὶ μνημονεύει καὶ φιλεῖ καὶ μισεῖ καὶ ὅλως τὸ φρόνιμον καὶ λογιστικὸν ἔκ τινος, φησίν, ἀκατονομάστου ποιότητος ἐπιγίνεσθαι.* De plac. phil. IV 3: *ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου, ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν.* Stob. ecl. phys. p. 798. — [2]) Plut. plac. phil. IV 23. — [3]) Diog. L. X 137. — [4]) Ib. 136: *ἡ μὲν ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί.* Cic. de fin. I 11. — [5]) Diog. L. X 142. 143. Cf. Steinhart. l. l. p. 472. — [6]) Sext. Emp. adv. math. IX 72. Cic. Nat. Deor. II 11, 29. Cf. Zeller. philos. Graec. III p. 101 adn. 1. — [7]) Lucret. III. 262—66.

inter enim cursant primordia principiorum
motibus inter se, nil ut secernier unum
possit nec spatio fieri divisa potestas,
sed quasi multae vis unius corporis extant.

Haec igitur ratio plane congrua est libri secundi illi loco [1]), quo Lucretius sensum per diversa corporis membra diffusum omnem ad foederis et convenientiae vim revocat. Quam vim etiam clarius indicat eis versibus, quibus animae compositionem describit [2]):

consimili ratione necessest ventus et aër
et calor inter se vigeant commixta per artus,
atque aliis aliud subsit magis emineatque,
ut quiddam fieri videatur ab omnibus unum,
ne calor ac ventus seorsum seorsumque potestas
aëris interemant sensum diductaque solvant.

Quae compositionis ratio nihil differt ab illa, qua ceterae res naturae omnes tenentur [3]).

Quemadmodum autem anima cum mente, ita utraque pars coniuncta est cum corpore, ut hominis natura exsistat revera una, cuius partes quantumvis potestate inter se diversae, tamen sine totius naturae pernicie divelli non possunt. Itaque, quam Aristoteles in Pythagoreorum harmonia refellenda relinqui viderat quaestionem, cur corpore corrupto anima evanesceret, illa autem sublata corpus putresceret, eandem Epicurus quasi principalem tractavit. Illam cum Aristoteles ita solvisset, ut animam cum corpore cohaerere artissime nec unquam segregari ab eo posse, mentem vero puram extrinsecus ingredi in corpus et morte discedere ab eo incolumen statueret, Epicurus mentem ipsam eodem quasi fato cum anima atque corpore consociavit et una cum illis nasci et interire decrevit [4]). Ex Lucretiana disputatione hos paucos versus exhibeo:

Ex ineunte aevo sic corporis atque animai
mutua vitalis discunt contagia motus,
maternis etiam membris alvoque reposta,
discidium ut nequeat fieri sine peste maloque.

Quoniam vero animi vis una cum corpore nascitur et consensu quodam partium convenientibusque motibus creatur, sequitur, ut sensus ad totam naturam pertineat ipsumque corpus sensu praeditum sit [5]).

---

[1]) Lucret. II. v. 902—24 vid. supra p. 17. — [2]) III. v. 282—88. — [3]) I 759—63; 778—82. vid. supra p. 16. — [4]) Vid. Diogenis locum (X 65) quem supra exhibui p. 13. Lucret. III 323—50. Cf. 546—78. — [5]) Lucret. III 350—59. Loco quem supra attuli ex Diogene Laertio (p. 20 adn. 3) iam reliqua, quae cum eo connexa sunt, addo, ut quam necessariam corporis et animi consensionem effecerit Epicurus possit intelligi. Diog. L. X 64: *διὸ* (*τὸ λοιπὸν ἄθροισμα* i. e. corpus) *ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν· οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ταύτην ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἅμα συγγεγενημένῳ αὐτῷ παρεσκεύαζεν, ὃ διὰ τῆς συντελεσθείσης περὶ αὐτὸ δυνάμεως κατὰ τὴν κίνησιν σύμπτωμα αἰσθητικὸν εὐθὺς ἀποτελοῦν ἑαυτῷ ἀπεδίδου κατὰ τὴν ὁμούρησιν καὶ συμπάθειαν καὶ ἐκείνῳ, καθάπερ εἶπον.* Quem locum ita interpretatur Gassendus Opp. tom. II 339: „Nec enim ipsum (corpus) in se ipso facultatem hanc possidebat; sed apparabat alii rei (animae nimirum) congenitae sibi, quae per facultatem in ipso collaboratam illico actum sentiendi pro sua motione exserens, tum sibi ipsi, tum illi quoque ut dicebam, ob viciniam consensionemque deferebat.“ Quibus explicatis Gassendus Epicuri sententiam cum Aristotele de an. I 4, 12 componit: „Quo loco vides Epicurum eandem propè dicere cum Aristotele sententiam, non esse animam solam, quae sentiat, sed ipsum esse compositum.“

Item sequitur, ut animi natura nihil sit nisi accidens quiddam, quod perdi in corpore potest [1]):

> at dimissa anima corpus caret undique sensu:
> perdit enim quod non *proprium* fuit eius in aevo.

His igitur omnibus apparet inter Pythagoreos et Epicureos discrimen intercessisse perquam exiguum [2]). Epicurei animum harmoniam esse vel corporis habitum vitalem in partium aequabilitate quadam positum negarunt; recte enim viderunt in homine alias partes aliis vi et facultate esse praestantiores; sed ipsi omnem tamen animi vim et facultatem solo in diversarum partium foedere quodam et consensu collocarunt; quin omnem illam vim merum accidens quiddam esse dixerunt, quod tota compositione dissoluta necessario evanesceret.

In eiusmodi vero definitione una res Epicureis non potuit non maximam afferre difficultatem. Tanta enim animi et corporis consensione constituta refutandum erat, quod aliis placebat, non corpore, sed sola anima vel mente percipi res et sentiri. Deinde vero, cum et ipsi mentem partem esse vellent penitus in corpore latentem et primos „sensiferos motus" cientem, illud reiiciendum erat, omni corporis parte sensum effici. Utrumque negat Lucretius v. 359—417. Et primum quidem sensum in ipso etiam corpore inesse confirmat. v. 359—70. Deinde vero ostendit, nisi animae semina ante concussa sint, in corpore sensum exsistere non posse. v. 370—96:

> usque adeo prius est in nobis multa ciendum
> semina corporibus nostris inmixta per artus,
> quam primordia sentiscant concussa animai.

Quibus versibus vim mobilem illam et penitus in nobis latentem atque dominantem significari manifestum est. Quam vim Lucretius iam tertio argumento, quo disputationem finit, apertius declarat; simulque trium illarum partium corporis animae mentis qualis sit foederis ratio insigni illo oculi exemplo illustrat. v. 396—417 [3]).

Primo autem loco refutat sententiam Stratonis Lampsaceni sive Aenesidemi; altero Democriti [4]). Sext. Emp. adv. Math. VII 349: *οἱ δὲ (εἶναι ἔλεγον τὴν διάνοιαν) ἐν ὅλῳ τῷ σώματι, καθάπερ τινὲς κατὰ Δημόκριτον, οἱ δὲ ἐν μέρει τοῦ σώματος, ὧν πάλιν πολυσχιδεῖς εἰσὶν αἱ γνῶμαι. Καὶ οἱ μὲν διαφέρειν αὐτὴν τῶν αἰσθήσεων, ὡς οἱ πλείους, οἱ δὲ αὐτὴν εἶναι τὰς αἰσθήσεις, καθάπερ διά τινων ὀπῶν τῶν αἰσθητηρίων προκύπτουσαν, ἧς στάσεως ἦρξε Στράτων τε ὁ φυσικὸς καὶ Αἰνησίδημος.* Stratonis et Aenesidemi sententiam Lucretius his versibus irridet:

---

[1]) Lucret. III 356 sq. Quae sententia ad subtiliorem de rerum accidentibus quaestionem spectat, quam Epicurus ad disputationem de atomis et de natura animi applicavit. Diog. L. X 40. 64. 67. 68. Lucretius magistrum secutus eandem rem brevius tractavit in libro I 449—83, uberius in l. II 730—1023. — [2]) Neque negat illud Gassendus Opp. tom. II 626: „Etenim (Epicurus) licet quodam sensu accedere ad eos, qui animum dicunt harmoniam, videatur; videtur tamen animam habuisse potius quasi substantiam." — [3]) Lachmannus et Bernaysius, cum non invenissent, quo vinculo illa argumenta inter se cohaererent, versus 350—96 ab hoc loco alienos iudicarunt. — [4]) Aristoteles de anim. I 5, 1 de Democrito dicit: *εἴπερ γάρ ἐστιν ἡ ψυχὴ ἐν παντὶ τῷ αἰσθανομένῳ σώματι.* Cf. Mullach. Democriti fragm. p. 397.

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
Desiperest, contra cum sensus dicat eorum.

Caussam cur Strato sic statuerit tradit Plutarchus [1]. Cum Plutarcho et cum Sexti Empirici illo, quem attuli, loco plane consentit locus Ciceronis in primo disputationum Tusculanarum libro [2], quem locum hic exscribendum puto, quo quam celebris fuerit illa sententia cognoscatur: „Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus. Neque est enim ullus sensus in corpore; sed (ut non physici solum docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt) viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus, nec audimus, ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sint animi; quibus tamen sentiri nihil queat mens, nisi id agat et adsit."

Jam ut intelligatur, quid illi sententiae opponat discipulus Epicuri, tenendum est, ex ipsius opinione nihil eorum, quae extrinsecus ad corpus accedant, ante percipi posse et sentiri, quam tenuissima in corpore animae vel mentis semina sint excitata. Qua quidem de caussa reprehendit Democritum, cui mentis naturam illam subtiliorem et penitus in corpore latentem constat fuisse incognitam [3]. Nec minus probat illud Stratonis, nihil percipi posse, nisi animus ad rem obiectam adsit intentus [4]:

et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
si non advertas animum, proinde esse quasi omni
tempore semotum fuerit longeque remotum.

Sed non probat sola mentis vi perceptionem effici aut sensum in interiore mentis sede quasi fixum esse et retineri [5]. Nam quod saepissime effert, mens et anima „per venas et viscera mixtim, per nervos atque ossa tenentur corpore ab omni" [6]. Placet igitur Lucretio re extrinsecus obiecta animum primo excitari et intendi; sed moveri illico animam [7] et perfici sensum in ipso corpore et eo quidem loco, qui primo extrinsecus tactu sit affectus. Eiusmodi discrimen inter Epicuri et Stratonis sententiam extitisse testatur Plutarchus in plac. phil. IV 23: *Ἐπίκουρος, καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις· τὸ γὰρ ἡγεμονικὸν ἀπαθές. Στράτων, καὶ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τῷ ἡγεμονικῷ, οὐκ ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις, συνίστασθαι* [8].

Quibus definitis iam de loco (III 359—70), unde digressi sumus, difficillimo certius poterit iudicari. Lucretius Stratoni opponit, si res externa (simulacrum) tetigerit oculum, animi semina trahi et ad ipsam aciem detrudi, quo res, qualis sit, cernatur:

sensus enim trahit atque acies detrudit ad ipsas [9];

---

1) De solert. anim. 3 (p. 141) cf. Nauwerck. de Stratone Lampsaceno. p. 14. — 2) I 20, 46. — 3) Vid. supra p. 19. — 4) Lucret. IV 805—13. — 5) Alia est ratio percipiendi, si tenuissima simulacra per rara corporis foramina ad animum ipsum permeant et in hoc solo sensum lacessunt. IV 720 sqq. — 6) III 564. 632. 681. 685. — 7) III 245—52. 269—73. — 8) Nauwerck. l. l. p. 15. — 9) Hunc versum (362) a Lachmanno post v. 363 positum et ratione nimium quaesita explicatum Bernaysius ut spurium notavit. Goebelius l. l. p. 33 superiores interpretes Turnebum et Wakefieldium secutus versum recte defendit. Wakefieldii interpretatio haec est: „Sensus, quem habent oculi rebus externis percussi, evocat animum ad eorum acies, ita ut consociatis animi et oculi potestatibus videndi facultas exoriatur."

Eiusmodi vero labor in ipso oculo susceptus augetur, si tenuior res est aut vehementer, oculus est percussus. Alterum illud, quod prius posui, loco apparet libri IV 805—808:

nonne vides oculos etiam, cum tenuia quae sunt
cernere coeperunt, contendere se atque parare,
nec sine eo fieri posse ut cernamus acute?

Ad alterum, quod posui posterius, libri tertii locus spectat, ubi exemplum proponitur a rebus fulgidis sumptum. v. 363 sq.

fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus,
lumina luminibus quia nobis praepediuntur.

Tum enim, quod exemplo libri IV 322—30 monstratur, sive nimio lumine sive vehementiore pulsu sive acri splendore oculus laeditur et ita afficitur, ut maiore ad cernendum intentione opus sit et interdum res omnino ne cerni quidem ac dispici possit. Hinc igitur concludit ipso etiam in oculo sensum inesse ipsaque sensus instrumenta ad cernendum esse efficacia.

Illa vero controversia ex graviore caussa pendere putanda est. Nimirum Stratonis illud placitum facile potuerunt suae doctrinae accomodare Pythagorei philosophi et Academici, qui quidem animum non omnino egere corporis commercio et morte superstitem esse voluerunt. Itaque Plutarchus [1]) ipsis Stratonis verbis sententiam adiecit Pythagoream, quam proposuit Epicharmus:

νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

Quam vero facile ex Stratonis verbis effici potuerit argumentum ad animi immortalitatem probandam, id eo loco, quo illa exposuit, Cicero ostendit cum alia tum haec concludens [2]): „cum autem nihil erit praeter animum, nulla res obiecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit.“ Quam sententiam Lucretius irridet his versibus: III 367—70.

Praeterea si pro foribus sunt lumina nostra,
Jam magis exemptis oculis debere videtur
Cernere res animus sublatis postibus ipsis.

Itaque Epicurei, quo immortalitatis opinionem tollerent, animi et corporis societatem fecerunt maxime necessariam, cum et ipsum corpus sentiens esse affirmarent.

Qui locus iam ad eam nos traducit disputationem, qua Lucretius animorum naturam nativam ac mortalem efficere conatus est. III 417—828. Sed ne longus sim, nolo hic singula, quae ab illo allata sunt, argumenta exponere uberius; satis sit paucis eam rationem indicare, qua illa et inter se et cum eis, quas illustravi, sententiis gravioribus videantur esse connexa.

Lucretius primum varia eius generis argumenta proponit, quibus probet animum una cum corpore multas ac varias subire mutationes [3]). Atque premit maxime, animum ante in ipso corpore disiectum esse et laceratum, quam foras dispergatur [4]). Qua quidem ratione Pythagoreos inprimis impugnat et Academicos et quotquot e Peripateticis et Stoicis animos a corporibus discedere integros existimarunt. Jam vero poeta in disputando eo modo procedit, ut rationes graviores, quas antea exposuit uberius, paucis repetat. Itaque redit ad eam, quam in secundo et

[1]) De solert. anim. 3. — [2]) Tusc. I 20, 47. — [3]) III 417—668. Singula argumenta refellit Gassendus. tom. II 637 sqq. — [4]) Lucret. III 524—46. 578—613.

tertio libro protulit sententiam de animi et corporis consuetudine eaque ratione foederis, qua homo exsistit ut unum quiddam ac totum, cuius singula membra ac diversa consistere omnino nequeunt, nisi unius corporis vinculo contineantur [1]). Illud vero vinculum, ut modo vidimus, ita est constitutum, ut animae mentisque natura contexta totius corporis, a quo ipsa teneatur, custos sit ac domina. In qua sententia Lucretius iam collocat argumentum gravissimum ad celebratam illam de animorum migratione sententiam refellendam. Quod enim Pythagorei inprimis et Platonici commenti sunt, animum integrum extrinsecus intrare in corpus recens et perfectum, id refutat, quod animus eo modo nec omnibus corporis partibus perfecte intexi nec pars integra esse possit et *dominans* [2]):

sic anima atque animus quamvis integra recens in
corpus eunt, tamen in manando dissolvuntur,
dum quasi per caulas omnis diduntur in artus
particulae quibus haec animi natura creatur,
quae nunc in nostro dominatur corpore nata
ex illa quae tum periit partita per artus.

Alia ratione disserit adversus eos philosophos, qui animas suum sibi quamque corpus fabricare dixerunt. Quae opinio vetus fuit [3]) et ipsi quidem Platoni, ut videtur, magis quam altera illa de corpore perfecto probata [4]). Lucretius, quia non intelligit, cur sibi anima corpus fabricet et quomodo, illam opinionem irridet [5]), imitans in hac re Epicurum, qui quidem non vidit a Deo construi atque aedificari mundum potuisse [6]). Quamquam Epicuri discipulus, si cum aliis confertur, sua sententia ipse ad hanc alteram opinionem videri potest inclinasse. Nam, quod modo ostendi, animum in corpus immigrare negat propterea, quod non videt, qui toti corpori intexi et pars integra et domina manere possit. Itaque animum nasci vult una cum corpore, sed eo modo nasci, ut in corpore, cui penitus sit connexus, tamen tanquam princeps evadat et dominus. Ad quam sententiam iam adhiberi licebit quae supra exposui de vi foederis partium et convenientiae, qua cum ceterarum rerum natura tum animi in corpore et potestas et principatus continetur.

Sed accedit alia ratio eaque non minus gravis, cum posita sit in illa universae naturae contemplatione, quam supra conferendam esse dixi cum Aristotelica. Etenim Lucretius animadvertit in corpore nostro mentem aeque ac singulos sensus suo semper ac certo loco contineri; idque comparat cum universae naturae eo ordine, quo constet ubi gignatur quidquid atque crescat [7]). III 620 sq.:

usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari
fluminibus solitast neque in igni gignier algor.

Quare hominis mentem et animam negat aut in aëre aut in quolibet animantis corpore exsistere posse. Atque animalia quidem animadvertit cuncta non corpore solum sed moribus etiam certis inter se differre et sui quodque generis servare similitudinem; eademque cernit non repente sed paullatim et suo quodque tempore naturae suae ac virium florem attingere, omnia certo semine enasci, crescere, florere, decrescere anima pariter ac toto corpore [8]). Idemque a natura consti-

[1]) III v. 546—90. 632—68. — [2]) v. 677—711. — [3]) Plat. Phaed. p. 87 B. — [4]) Cf. Steinhart. de Platonis Phaed. in adn. 70. — [5]) Lucret. III 725—35. 774—82. — [6]) Cic. Nat.Deor. I 8, 18. Cf. Lucret. V 168—76. — [7]) v. 546—49. 613—22. 782—98. — [8]) v. 739—52.

tutum videt in ipso homine, cuius animum omni ante actae aetatis recordatione et rerum cognitione vacuum progrediente demum aetate pariter cum corpore excitari atque fingi dicit [1]). Haec igitur omnia simillima sunt doctrinae Aristotelis, qui certam vim animalem certo inesse corpori et corpore procrescente animi aliam vim ex alia quasi explicari et animalis hominisque naturam perfici perspexit [2]). Aristot. de gen. anim. II 3. *Οὐ γὰρ ἅμα γίνεται ζῶον καὶ ἄνθρωπος, οὐδὲ ζῶον καὶ ἵππος. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ζώων. Ὕςερον γὰρ γίνεται τὸ τέλος. Τὸ δὲ ἴδιόν ἐςι τὸ ἑκάςου τῆς γενέσεως τέλος.* Cum Aristotele componere licebit Stoicos dicentes animum igneum in humano suo corpore mutatione quadam ad virium perfectionem adduci [3]). Lucretius prorsus negat id quod Pythagorei et Plato dixerunt, hominum animos per varia corpora migrare; assentitur eis, qui humanum animum statuerunt nulli huius terrae animanti nisi homini inesse posse; sed, quod eisdem philosophis visum est, procedente demum tempore hominis vires perfici, id ipse in suam sententiam trahit [4]). Cum Aristotelis illis, quae modo attuli, verbis hi Lucretiani versus conferendi sunt [5]):

> sin animas hominum dicent in corpora semper
> ire humana, tamen quaeram cur e sapienti
> stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus,
> nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis?

Itaque ipsam hominis mentem, quod alio tempore alia esse et mutata videatur, mortalem esse concludit.

His, quae disputavi brevissime, unum satis apparebit, Lucretium suis sententiis constare optime. Nec quicquam discrepare videtur discipulus a magistro Epicuro. Nam singula argumenta ex duobus potissimum placitis effecta sunt Epicureis, quorum alterum ad intimam atque necessariam animi et corporis consortionem, alterum ad universae naturae ordinem definitum atque constantiam spectat. Quoniam vero in paucis illis Epicuri scriptorum reliquiis ipsa placita graviora, quibuscum conferas Lucretiana, adumbrata sunt brevissime, ut quae in singulis exponendis ac defendendis protulerit ille non pateat, hoc iam paucis constituere conabor, quibus in universum finibus et Epicurus et discipuli omnem illam de animorum mortalitate disputationem circumscripserint. Jam quod satis comprobasse puto, Aristotelis quidem de anima doctrina haud pauca suppeditabat, quae suis sententiis Epicurei facile possent accomodare; nec defuerunt in ipsa Aristotelis schola philosophi, qui in illa mortalitatis opinione istis plane consentirent; at dissenserunt ab Epicureis philosophi

---

1) III v. 445—59. 668—77. Versus posteriores eo, quo nunc leguntur, loco reliquis male intexti ad argumentum spectant, quod continetur versibus 758—70. Mea sententia subiungi debent versui 766 (in edit. Bernays.). — 2) Vid. supra p. 10 adn. 3 et 4. — 3) Cf. Tiedemann. Syst. phil. Stoic. II 147. Zeller. l. l. III p. 101. Illam de animi mutatione opinionem Lucretius tetigit II 931—44. Vid. supra p. 18. — 4) v. 758—70. — 5) Ap. Lachmann. v. 760—65. Versum quartum cum Bernaysius ab interpolatore additum esse iudicasset (vid. praef. p. VII), iusta interpretatione Lucretio vindicavit Purmannus in Annall. Jahn. 1853 p. 665. Quod hic recte animadvertit loqui poetam de ea mutatione, quam animalia *suo quodque in corpore* subire cogerentur, id non reputavit Goebelius (Observatt. Lucrett. p. 31), qui versum illum hoc loco expellendum putavit et subiiciendum versui 745. Hoc vero loco poeta aliam sententiam premit, cum animalia suo quodque in corpore nec in alio quolibet innasci affirmet.

Stoici, quorum princeps Zeno animorum sustulit quidem immortalitatem, sed discessum eorum a corpore et vitae diuturnitatem reliquit [1]). Discipuli vero, etsi de hac re ipsi inter se valde dissidebant, cum alii animis longissimam, alii non omnibus aequam, alii nullam omnino vitae usuram largirentur, omnes tamen eo videntur semper consensisse, animos ex aeterna atque divina natura decerptos esse nec unquam interituros funditus [2]). Multo etiam maior Epicureis constabat cum Platonis disciplina dissensio. Quamquam, quas ipse Plato disserendi via explicuerat rationes graviores atque acutiores, eas Epicurus si minus ignorasse, certe neglexisse videtur nec ulla disputationis severitate refellisse. Illis enim rationibus quid tandem opponere potuit, cum dialecticae artis rudis atque inimicus [3]) omnem veritatis cognitionem a solis, quae sensibus percipiuntur, rebus repetendam esse nihilque nisi spatium corpore vacans esse decrevisset. Neque igitur mirandum est, ne Lucretium quidem, acrioris illum ingenii discipulum, ad aliorum rationes redarguendas subtiliora argumenta adhibuisse. Is adversarios suos urget quidem interrogando, qua tandem ratione aeterna cum mortalibus queant coniungi, cur immortales animi corporibus insinuentur mortalibus et caducis [4]), cur et quomodo sibimet ipsi corpora fabricentur [5]), denique cur huius vitae miseria suscepta, si corpus aetatis spatio labare coeperit, alii id conquerantur, alii domicilium deserere cupiant [6]): sed eiusmodi quaestiones difficillimas ad scholae suae consuetudinem [7]) paucis tantum atque leviter tangit et irridendo potius quam disputando aggreditur. Nec ubi Pythagoreorum celebrem illam de superioris vitae recordatione sententiam refutat, eam, quam Plato ex ipsa philosophia exquisivit rationem subtiliorem et reconditiorem ne verbo quidem assequitur [8]). In eiusmodi argumentis omnes Epicureos plane fuisse hebetes atque alienos dicit Cicero; is et veteres scholae principes, ut Epicurum et Metrodorum, et aequales Epicureos, ut Amafanium, Rabirium, alios multis locis vituperat, quod libri eorum nulla arte et disserendi subtilitate ornati ad vulgi captum conscripti sint de rebus minime obscuris, quas nemo mediocriter quidem doctus ignoret [9]). Idemque auctor eo ipso loco, quo Platonis elegantem illam atque exquisitam de movendi principio rationem exponit, cum alios philosophos tum maxime Epicureos ita perstringit: „licet concurrant omnes plebeii philosophi (sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur) non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum, quam subtiliter conclusum sit, intelligent [10]). Quae verba ut non vacent illa, qua Cicero solet in Epicureos uti, acerbitate; hoc certe credendum est istos subtilia argumenta subtiliter convincere ratione doctrinae nulla potuisse. Itaque Epicurus eas potissimum opiniones, quae longe lateque per multitudinem erant diffusae videtur exagitasse. Nec id mirum; vixit enim tristibus illis temporibus, quibus hominum animi et publicae rei et privatae calamitate afflicti ac fatigati alii facile spem opis divinae abiiciebant

---

[1]) Diog. L. VII 156: *Διὸ καὶ (τὴν ψυχὴν) σῶμα εἶναι, καὶ μετὰ θάνατον ἐπιμένειν, φθαρτὴν δὲ εἶναι.* Cic. Tusc. I 31, 77. Stoici autem usuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos; semper, negant. — [2]) Diog. L. VII 157: *Κλεάνθης μὲν οὖν πάσας ἐπιδιαμένειν μέχρι τῆς ἐκπυρώσεως· Χρύσιππος δὲ, τὰς τῶν σοφῶν μόνον.* Vid. Menagium. Cic. Tusc. I 31, 79 (de Panaetio). Cf. Lipsius Physiol. Stoicor. III diss. XI. Wyttenbach. opusc. II p. 274 sqq. — [3]) Diog. L. X 31. — [4]) Lucret. III 798—804. V 176. — [5]) Ib. 725—36. — [6]) 610—13. 770—74. — [7]) Cf. Cic. de Nat. Deor. I 8, 9. — [8]) 668-77. — [9]) Cic. Tusc. I 3, 6. II 3, 7. 8. IV 3, 6. De fin. I 3, 8. III 12, 40. Acad. I 2, 5. — [10]) Cic. Tusc. I 23, 55.

omnemque religionem irridebant, alii, cum deos metuerent velut rerum dominos acerbissimos, ad omne superstitionis genus confugiebant. Tum et ipsi philosophi nec solus Epicurus sed et ceteri, cum Socratis et Platonis de numine divino deque immortalitate sententias altiores et meliores obtinere non potuissent, ad hominum opiniones deteriores descendere philosophando coeperunt. Tum Speusippus et Chalcedonius ille, quem Epicurus adolescentulus Athenis audisse fertur, Xenocrates, uterque Platonis discipulus et Academiae princeps, magistri doctrinam depravarunt, cum etiam animae parti deteriori et rationis experti immortalitatem vindicarent [1]). Inprimis vero Ponticus ille memorandus est Heraclides, qui pessimae superstitioni adéo fuit deditus, ut ea re maiorem quam philosophiae studiis nominis famam meruerit [2]). Cuius praestigias apud Diogenem Laertium narratas si legeris, facile id quod notarunt Epicurei, credas, fabulis eum libros refersisse puerilibus [3]). Inter multa eius scripta feruntur duo de inferis [4]). Quod argumentum tum a philosophis diverso modo tractatum est, cum alii vulgo commendarent fabulas, alii eas irriderent. Irrisit eas Peripateticus ille Dicaearchus, qui tribus libris suis Lesbiacis contra immortalitatem disputavit acerrime [5]). Is in libris, quos supra memoravi, Corinthiacis Pherecratem quendam a Deucalione ortum induxit de animi nomine inani exponentem [6]). Quam fabulam opposuisse illum suspicor Eri illi Pamphilio, quem Plato in decimo de Republica libro fecerat a morte reducem et de inferis animorumque migratione narrantem [7]). Eandem Platonis fabulam, quae videtur valde fuisse celebrata, refellendam sumpsit Epicuri discipulus Colotes, qui negavit hominem a morte huic vitae restitui posse [8]). Et ista quidem controversia inter Graecos philosophos patebat latius, cum antiquitus hominum rumore multi e morte in vitam redisse ferrentur, ut vel docti viri eius generis exempla colligerent scriptisque mandarent [9]). In quibus scriptis eiusdem, quem modo dixi, Heraclidis librum affero, his verbis laudatum a Plinio in hist. nat. VII 52: „Huc pertinet nobile illud apud Graecos volumen Heraclidis, septem diebus feminae exanimis ad vitam revocatae“ [10]). Similia ante Heraclidem cum alii tractaverunt, tum ipse atomorum inventor Democritus in opusculo, quod inscripsit *περὶ τῶν ἐν ᾅδου* [11]). Unde Epicuri orta esse videtur illa invidia quam memorat Cicero in Tusc. I 34, 82: „Fac enim sic animum perire, ut corpus: num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dicit; etsi Democritum insimulat Epicurus; Democritii negant.“ Quo Ciceronis loco hoc iam colligi licet, Epicurum suis in scriptis eiusmodi exempla proposuisse,

---

1) Olympiodor. ad Plat. Phaed. ap. Cousin. (Journal des Savans) 1835. p. 145: *Οἱ μὲν ἀπὸ τῆς λογικῆς ψυχῆς ἄχρι τῆς ἐμψύχου ἕξεως ἀπαθανατίζουσιν, ὡς Νουμήνιος· οἱ δὲ μέχρι τῆς ἀλογίας, ὡς τῶν μὲν παλαιῶν Ξενοκράτης καὶ Σπεύσιππος.* Cf. Krische. l. l. p. 257. Brandis l. l. II, 2 p. 26. — 2) Krische. p. 330. Brandis ib. p. 5. — 3) Diog. L. V 89 sqq. Cic. Nat. Deor. I 13, 34. — 4) Diog. L. V 87. 88. — 5) Cic. Tusc. I 31, 77. — 6) Ib. 10, 21. — 7) Platonem ab eo impugnatum esse tradit Plut. adv. Colot. c. XIV. — 8) Macrob. Somn. Scip. I 2. Cf. Wyttenbach. ad Plutarch. de sera numinis vindicta p. 89 sq. Mullach. Democriti fragm. p. 115. — 9) Mullach. l. l. p. 114. — 10) Eundem librum (*περὶ τῆς ἄπνου*) commemorant Diogenes Laert. in prooem. c. XII. — 11) Post Heraclidem eiusdem generis exempla alii multi scriptores congesserunt et Graeci et Romani, e quibus commemoro Labeonem (cf. S. Augustin. de civ. Dei lib. XXII c. 28), Plinium Hist. Nat. VII 53, Proclum in commentario ad Plat. de rep. libr. X. Plinius ipsum Democritum reviviscendi illam vanitatem promisisse significat; Proclus ex eiusdem philosophi de Orco libro locum affert, unde apparet tale decretum ab illo fuisse alienum. Vide Mullach. l. l. p. 112 sqq.

quibus probaret, morte omnem omnino in corpore sensum exstingui. In eodem exemplorum genere versatur Lucretius, qui, ut supra dixi, in disputando hoc ipsum maxime premit, animam ante in ipso corpore dilaniatam esse, quam foras elabatur. Concedit ille quidem, animi nostri atque corporis materiam post mortem aliquando in pristinam formam posse redire; sed nos quicquam esse sensuros negat. III 845—50:

> nec, si materiem nostram collegerit aetas
> post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est,
> atque iterum nobis fuerint data lumina vitae,
> pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,
> interrupta semel cum sit retinentia nostri.

Quam opinionem M. Terentius Varro in libris, quos conscripsit de gente populi Romani, commemoravit his verbis [1]: „Genethliaci quidam scripserunt esse in renascendis hominibus quam appellant παλιγγενεσίαν Graeci: hac scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus et eadem anima, quae fuerint coniuncta in homine aliquando, eadem rursus redeant in coniunctionem.“ Nec vero Lucretius Epicuri et Graecorum discipulorum arrogantiam illam contradicendi et studium cavillandi imitatus Democritum reprehendit. Procul dubio vidit, cum acriore diligentia et aequiore animo Democriti decreta perquireret, immerito illum ab Epicuro tantae sententiarum inconstantiae accusari [2]. Quod enim Procli testimonio constat, in illo quidem de inferis libro Democritus exemplis ostenderat accidere nonnunquam, ut quis graviore quodam ictu percussus atque oppressus mox ad vitam rediret; cuius rei caussam esse, quod semina quaedam vitalia in intimis cordis recessibus latentia remansissent, quibus collectis vita denuo posset incendi [3]. Eiusmodi exempla atomorum doctrinae maxime congrua Lucretius probavit et plane similia ipse protulit in libro II 944—63. Cum quo loco conferri poterunt libri tertii versus 465—70. 590—605. Sed haec hactenus.

Inferorum illa formido, quae hominum mentes vehementer vexabat, maxime erat posita in daemonum cultu, ad quem varia pertinebant superstitionis genera, velut divinatio, oracula, somnia, sollennia sacra placandis inferorum numinibus instituta [4]. Quibus religionibus maxime implicatus fuit Xenocrates. Is, cum vulgi sollennia tetrica et horrida nec comprobare nec tollere potuisset, a Deis et daemonibus benevolis daemones segregavit maleficos, immanes, in aëre vagantes, qui soli ieiuniis, planctibus, maledictis lasciviisque placandi essent [5]. Idem philosophus videtur statuisse hominum animos ante hanc vitam daemonum specie indutos in aëre volitasse [6]. Quam daemonum speciem ante Xenocratem cum alii tum Empedocles et Plato animis humanis tribuerunt;

---

[1]) Cf. S. Augustin. de civit. Dei lib. XXII c. 28. — [2]) Ex Epicureis duo tantum nominari possunt Democriti laudatores Philodemus, Epicureus doctissimus (Cic. de fin. II 35, 118. Cf. Mullach. l. l. p. 110) et, qui illius fortasse auditor fuit, Lucretius. Hic Democriti memoriam colit in libr. III 1037; eundem laudat III 371 et V 620, ubi eius decreta proponit; alio loco II 114—23 eiusdem de ramentis in sole volitantibus sententiam adhibet ad atomorum motus explicandos. Cf. Arist. de an. I 2, 3. Cf. Trendelenb. in comment. — [3]) Procli locum in Commentario ad Platonis de rep. libr. X vide ap. Wyttenbach. l. l. et Mullach. l. l. — [4]) Cf. Lactantius II de orig. erroris c. 14—18. — [5]) Lobeck. Aglaoph. I p. 696. Brandis. l l. II 2 p. 26. — [6]) Krische. l. l. p. 321.

similem sententiam post Xenocratem amplexi sunt e Stoicis quicunque cum Zenone remansuros esse aliquamdiu post mortem animos affirmarunt [1]). Plutarch. phil. plac. I 8: *Θαλῆς, Πυθαγόρας, Πλάτων, οἱ Στωϊκοὶ δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς· εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας τῶν σωμάτων· καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθάς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας. Ἐπίκουρος δὲ οὐδὲν τούτων ἐγκρίνει.* Epicurei Deos et daemones, quos vulgus colebat, omnes exploserunt rationibus usi aliis ex notione naturae divinae [2]), aliis ex ipsa physica conclusis. In physica cum omnis rerum exploratio eo contineretur, ut turbulentae de deis et superis et inferis opiniones hominum mentibus excuterentur, tum maxime ille de simulacris locus eo spectabat, ut formidulosae daemonum mortuorumque species ad simulacra quaedam referrentur inania per auras volitantia. Cui argumento tractando praeter Lucretium aequalis Epicureus Catius Insuber singularem quandam diligentiam impendit [3]). Lucretius cum aliis locis tum eo, quo ad simulacra explicanda aggreditur, consilium suum ipse declarat [4]):

ne forte animas Acherunte reamur
effugere aut umbras inter vivos volitare,
neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
cum corpus simul atque animi natura perempta
in sua discessum dederint primordia cuique.

Ut Ditis maniumque formidinem hominum animis expellat uberius disserit de Avernis aliisque locis sacris ac religiosis [5]):

ianua ne Puteis Orci regionibus esse
credatur, post hinc animas Acheruntis in oras
ducere forte deos manis inferne reamur.

Eodem praecipue consilio cultum exagitat Matris Idaeae et Curetum comitum [6]). Quem cultum antiquissimum et arcanum diu ante Lucretium ex Phrygia receperant Romani [7]) non minus illi quam Graeci calamitosis temporibus superstitiosi et ad novas externasque religiones exercendas parati [8]). Idaeam autem Matrem confundebant Romani cum Ope vel Tellure, quae princeps dea pariter ac Dis frater et coniux rerum omnium dicebatur et parens esse et sepulcrum [9]). Quibus verbis ipse poeta vim terrenam significat. V 259:

omniparens eadem rerum commune sepulcrum.

Et in hac quidem re Lucretius ad Stoicos propius accessit, quod reconditioribus sententiis excussis antiquas fabulas Epicureis placitis et physicis et moralibus accomodavit. Nec licebit eum cum Epicureis componere aequalibus, quos Cicero perstrinxit, quod in libris suis male scriptis poetarum refellissent fabulas superstitiosas et ineptias aniles. Quod Cicero cum iactantia quadam elocutus est, Acherontis formidines videri sibi iam sublatas [10]), id Lucretium, qui hominum mores et studia

---

[1]) Diog. L. VII 151. Lipsius Physiol. Stoicor. I diss. 18—21. — [2]) Diog. L. X 123. Plutarch. de defect. Orac. c. 20. — [3]) Cic. ad. fam. XV 16. 19. — [4]) Lucret. IV 26—42. Cf. I 132—36. — [5]) Lucret. VI 738 sqq. (762—65). — [6]) II 600—61. — [7]) Liv. 29, 10. 11. 14. Cf. Preller. Mythol. Graec. p. 403 sq. — [8]) Liv. 25, 1. Lobeck. Aglaoph. I 626. — [9]) Quaestt. Lucrett. p. 75. Varro de ling. lat. V 64. Cic. Nat. Deor. II 26. De Curetibus vid. Lobeck. Aglaoph. II 1125. 1178. — [10]) Cic. Tusc. I 6, 10. 11. 16, 37.

acriter attendisset, non fugit. Sed sensit poeta multorum hominum de animi natura philosophantium iactantiam esse vanam, cum iidem vitae aerumnis affecti ad antiquam religionem reverti cogerentur [1]. Quapropter novam disputandi viam ingressus occultas formidinis caussas indagavit et Acherusia templa in ipso hominum pectore posita esse ostendit. Hoc consilium ipse significavit III 976 sq.:

Atque ea, nimirum, quaecumque Acherunte profundo
prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis.

Itaque non eos Tartari terrores depinxit, quales homines fingebant post hanc vitam sub terra imminentes, sed eos, quibus in ipsa hac terra cruciari vidit viventium hominum animos pravis cupiditatibus et inani opum et gloriae studio occaecatos [2]. Atque hominum vitia perversaque studia castigat severissime et quasi vulnera vitae conqueritur et deplorat. Multis eisque gravissimis verbis exponit aetatis suae calamitates illas maximas ex misero partium studio singulorumque hominum avaritia invidia ambitione exortas [3]. Incidit enim Lucretii pueritia et adolescentia in illa tempora, quibus discordiae civiles inter Marium et Sullam conflatae rempublicam lacerarunt et labefactarunt; vidit ille nefariam Catilinae coniurationem; vidit denique principum Caesaris, Crassi, Pompei societatem gravissimam. Illis igitur temporibus omnia vincula et reipublicae et religionis relaxari coepta sunt. Tum multi homines vitae rationes ad suam libidinem constituere non dubitarunt, partim ad rationes, quas philosophando ipsi effecerant, sive honestatis sive voluptatis se coërcentes, partim immoderate cupiditatibus indulgentes. Nec licet dubitari, quin tum multi extiterint, qui cum antiqua religione et Acherontis formidine abiecta futuri temporis sensum et immortalitatis quoddam desiderium exstinguere in animis non potuissent, suo quisque modo nominis famam ad posteros transferre et aeterna hominum memoria aeternam vitam sibi parare studerent. Quod hominum studium reprehendit Lucretius, quia homines in acquirenda gloria malis uti artibus animadvertit et sententiae memor Epicuri, qui coronas ac statuas affectari vetuerat [4]. III 75:

Intereunt partim statuarum et nominis ergo.

Sed quod tantopere laboravit ut aliis persuaderet, id ne sibi quidem ipsi persuasit; nam altioris animi et naturae quasi quodam impetu abreptus ipse spem futurae celebritatis professus est [5]. Atque magistri laudes aeternas tantis verbis extulit, ut nihil paene distare a Stoicis videatur, qui cum ad virtutem exercendam egere se animorum immortalitate non putarent, tamen egregios viros ac sapientes in daemonum vel heroum numero collocare non dubitarunt [6]. Itaque nescio an iure ad Lucretium quoque verba referam Ciceronis haec dicentis [7]: „Quare licet etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna moliri non gloriae cupiditate, quam sensurus non sit, sed virtutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur.“ Quamquam de virtute illud speciosius dictum est quam verius. Nam virtus illa fundata in rationibus, quas quisque ad suam naturam facile mutabat, vagis atque incertis et carens fundamento, quod in animi immortalitatis et futurae felicitatis spe consistit, firmissimo non potuit non admodum manca esse atque imperfecta. Utrique autem philosophi et Stoici et Epicurei, cum omni modo ut animi libertatem sustentarent niterentur, pessime

[1]) III 41—59. — [2]) III 976—1023. 1051—74. — [3]) v. 59—94. V 45—49. 1115—34. — [4]) Diog. L. X. 149. — [5]) I 921—35. — [6]) III 1—14. 1040—43. V 1—55. VI 1—35. — [7]) Tusc. I 38, 91.

homini eo consuluerant, quod in nimiis vitae malis atque infortuniis etiam voluntariam mortem concesserunt atque probarunt [1]). Itaque quod et veteres Pythagorei et Socrates et Plato, cum tanta spe futuri praemii divini imbuti essent, gravissimis verbis monuerant, ne quis non evocatus a Deo ipse ex huius corporis vinculis se expediret, id ipsum nec Stoici nec Epicurei spe illa abiecta obtinuerunt. Et in Stoica quidem schola voluntariae mortis ipse princeps Zeno funestum exemplum dedit, quod Cleanthes et procul dubio multi alii e Graecis discipulis imitati sunt, quemadmodum inter Romanos Catonis exemplum secuta est innumerabilis fortium virorum cohors [2]). Epicurus totus in ea re occupatus, ut omnem felicitatem huius praesentis vitae usu coërceret, vehementer sane discordavit cum Socrate et Platone, qui omnem hanc vitam mortis commentationem esse voluissent [3]); vehementer idem a ceteris omnibus et poetis et philosophis dissensit, qui tot et tantis huius vitae incommodis atque miseriis perspectis quasi consolandi caussa Sileni illud decantabant, non nasci homini longe optimum esse, proximum autem quam primum mori [4]). Qua sententia ipse Aristoteles in Eudemo dialogo illo deperdito usus est eo loco, quo vitae futurae felicitatem praedicavit [5]). Ex eadem sententia cum alii Epicuri aequales tum Crantor Academicus afflicti animi solatium hauserunt [6]). Epicurus vitam efficere deplorando miseriorem noluit et palam eiusmodi querelas reprehendit vel ludendo interrogans, cur non ex vita excederet potius, qui talia crederet. Diogenes Laert. X 126: *πολὺ δὲ χείρων καὶ ὁ λέγων,*

— καλὸν μὲν μὴ φῦναι,
φύντα δ'ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀίδαο περῆσαι.

εἰ μὲν γὰρ πεποιθὼς τοῦτο φησί, πῶς οὐκ ἀπέρχεται ἐκ τοῦ ζῆν; Lucretius Epicurum imitans multis locis monet homines, ut mortem communemque naturae sortem timere et deplorare desistant; premit maxime, nullum in morte sensum ideoque nullum malum inesse [7]); sed idem tantum abest, ut in hac vita bonum esse fateatur vitaeque usu laetetur, ut quas Epicurus querentium voces improbavit, easdem proferat et probet [8]). Negat non nasci malum esse: V 176

quidve mali fuerat nobis non esse creatis?

Alio vero loco hominem nascentem deplorat: V 226 sq.

vagituque locum lugubri complet, ut aequumst
cui tantum in vita restet transire malorum.

Qui versus expressi esse videntur ex celebrata illa sententia, qua in Cresphonte usus est Euripides, quem poetam multis locis Lucretius imitatus est [9]):

ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ'ἔρχεται κακά,
τὸν δ'αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

---

[1]) De Stoicis vid. Diog. L. VII 130. Zeller. l. l. III 185. De Epicureis vid. Diog. L. X 145. Cic. de fin. I 19. Steinhart. in Ersch. et Grub. encycl. s. v. Epic. p. 470. — [2]) Diog. L. VII 28. 176. Cf. Lasaulx de mortis dominatu in veteres. Monaci 1835 p. 42. — [3]) Plat. Phaed. p. 64 B. — [4]) Cf. Welcker. de Prodico Ceo in Museo Rhen. 1833. I 4 p. 609 sqq. — [5]) Plutarch. Consol. ad Apollon. c. 27. — [6]) Plutarch. ib. Welcker. l. l. p. 625. — [7]) III 828—1093. — [8]) Quaestt. Lucrett. p. 34—37. — [9]) Ib. 38—42. Eurip. fragm. XIII in edit. G. Dindorfii, Poetae Scenici Gr. — Cf. Cic. Tusc. I 48, 115. Eurip. Belleroph. fragm. XX.

Cum qua sententia illos quoque versus comparare licebit, quibus Lucretius hominum malam vitae cupiditatem vituperat [1]) mortemque dicit statum, quo homo ex mediis vitae laboribus et incertis fortunae casibus sublatus somno consopiatur sempiterno [2]). Nec dubitandum est, quin poeta eiusmodi querelas ab imo pectore fuderit. Dissensit a Graeco magistro tam callide et laete in otio sibi vivente discipulus Romanus seriora ille cogitans nec sui solum sed patriae etiam amantissimus. Sensit Lucretius tantam illam temporis acerbitatem, tot et tantas illas belli civilis clades ac calamitates; anxio animo providens rerum omnium imminentem ruinam auxilium et praesidium posuit in praeceptis Epicuri, quibus tradendis civium mores corruptos corrigeret, animos discordantes reconciliaret, reipublicae exagitatae pacem et concordiam crearet [3]). Hac spe inani inductus cum frustra laboraret nec animi tantum illum luctum mitigare posset, quid obstabat, quominus magistro suadenti obtemperaret et manu sibi vitam exhauriret? Hunc tristem poetae exitum ut suspiceris suadent ipsa eius scripta; suspicionem confirmat testimonium Hieronymi, nisi quod hic aliam mortis caussam tradit [4]): „Titus Lucretius poeta nascitur, qui postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis XLIV.“

---

[1]) III 929—76. 1074 sq. Cf. Eurip. Suppl. 1108—14. — [2]) III 902—10. 937. 1083 sq. — [3]) I 29—44. II 9—62. V 45—55. 1115—34. 1421—34. — [4]) Cf. Lachmann. comment. in Lucret. I v. 922.